

# FACULTATES ORDINARIAE ET EXTRAORDINARIAE

QUIBUS GAUDENT AD TEMPUS

VEL

DURANTE MUNERE

SACERDOTES NOSTRI

IN EXTERIS MISSIONIBUS AD LABORANTES




AUGUSTAE TAURINORUM  
EX OFFICINA SALESIANA

—  
AN. MDCCXCIII.



FACULTATES  
ORDINARIAE ET EXTRAORDINARIAE



291

## INTRODUCTION

THEORY AND PRACTICE IN THE FIELD OF  
INTERPERSONAL COMMUNICATION

# FACULTATES ORDINARIAE ET EXTRAORDINARIAE

QUIBUS GAUDENT AD TEMPUS

VEL

DURANTE MUNERE

SACERDOTES NOSTRI

IN EXTERIS MISSIONIBUS AD LABORANTES



AUGUSTAE TAURINORUM  
EX OFFICINA SALESIANA  
AN. MDCCXCIII



JOANNI CAGLIERO

EPISCOPO MAGYDANO

ANTISTITI VIC. POT.

PATAGONIAE SEPTEMTRIONALIS ET CENTRALIS

HANC SACRARUM FACULTATUM COLLECTIONEM

QUAE MAXIME AD MISSIONARIOS PERTINENT

IN SIGNUM GRATI ANIMI

OFFERO ET DEDICO

Sac. I. B.





## CAPUT I.

**De Absolutionibus, sive de Facultatibus absolvendi et dispensandi, quibus generatim gaudent Confessarii Nostri Missionarii in America durante munere.**

### § I.

#### **Regulae Generales.**

I. 1. Ex nullo Privilegio Confessarii Nostri, etsi Missionarii, absolvere possunt a Casibus, quos Episcopi sibi reservant, nisi obtenta ab eis facultate.

2. Facultatibus absolvendi a Papalibus, quas habent, uti nequeunt :

a) Si quis per sententiam *ab homine*, sive condemnatoriam, sive simpliciter declaratoriam, Censura aliqua afflictus fuerit (1).

b) Si Delictum iam ad Forum Contentiosum deductum fuerit, vel de facili deducibile. Forum Contentiosum illud est, in quo iurisdictio iuxta formas pro iudiciis, iure sive

(1) A Censuris ab homine latis per sententiam specialem potest absolvere solus ille, qui eas tulit, vel eius Delegatus aut Successor. V. FERRARIS - V. *Censura* n. 36, 54, 57.

communi sive locali, exerceatur. Censetur autem Delictum ad Forum Contentiosum deductum, quando ibi probatum est saltem per unum testem. Si tamen Reus se in iudicio a Crimine, licet malis artibus, purgavit, censetur occultum.

c) Si vel Censurae, vel facultati absolvendi aut dispensandi adiectae sint conditiones antea a Poenitente adimplendae, absolutionis aut dispensatio non nisi his impletis dari valet. Excipe quoad absolutionem saltem, si Poenitens ad ipsas implendas impotens esset.

*Nota.* — Per se patet servandas semper esse praesertim, si de Criminibus enormibus agitur, prudentiae et pietatis Regulas, quas Doctores passim tradunt: « Ideo si Delicta » enormia occurrunt, in quibus ipsa S. Se- » des poenas vel impedimenta canonica dif- » ficulter et nonnisi additis conditionibus vel » compensationibus relaxare solet, *Confes- » sarii Privilegiati eandem agendi rationem » observent.* Ubi nec periculum in mora, nec » damnum spirituale timendum est, remit- » tant huiusmodi Poenitentes ad Superiores » Ecclesiasticos competentes, ut ex hac dif- » ficultate melius Delictorum gravitatem sen- » tiant et salutarem horrorem inde concipient. » Si vero adsunt rationes hanc relegationem » vetantes, statim saltem non absolvant nec » dispensent; sed post aliquam dilationem et » probationem, praeterquam si Sacramenti

» susceptio sine scandalo differri nequiret,  
» et semper poenitentia Delictorum gravitati  
» conveniente iniuncta. In summa non utan-  
» tur in hisce casibus Privilegiis suis, nisi  
» in quantum maius Poenitentis bonum spi-  
» rituale id exposcat, eoque modo, quo saluti  
» Animarum et bono communi Ecclesiae melius  
» consulitur. » V. LUPOLI, Comp. Privileg.  
II, § 3, ut refertur in *Elencho Facultatum et*  
*Gratiarum Spiritualium Congregationis SS.*  
*Redemptoris*, pag. 139-40, n. 16.

II. Non incurruunt Censuras:

1. Ignorantes, sive ignorantia sit *facti*,  
ex. gr., talem librum fuisse conscriptum ab  
apostata aut haeretico ad defendendam hae-  
resim, sive *iuris*, ex. gr.: Censurae aut Legis,  
divinae vel ecclesiasticae, dummodo tamen  
non sit *crassa*, licet et haec excuset, si in  
decreto Censurae legitur:

*Qui hoc fecerit scienter, vel consulto, vel temere, vel qui praesumpserit*, cuius rei exempla  
invenire est in Const. Apostolicae Sedis. —  
App. I, N. I, § I, Cens. II; § II, Cens. V,  
XIV et XVII; § III, Cens. I et III.

2. Impuberes, sive Pueri ante annum 14,  
et Puellae ante 12 completum, si excipias  
violantes Clausuram Monialium, Clericorum  
percussores, et Censuras latas per modum  
praecepti.

3. Ii quorum peccatum non sit:

a) Interne et externe grave: b) In sua  
specie consummatum cum contumacia seu

inobedientia delinquentis (1): c) Ita certum, ut non remaneat *prudens* dubium, an sit patratum; an interne et externe grave; an in sua specie consummatum; an a pubere commissum; an sub reservatione comprehensum.

4. Agentes ex metu contra Legem, licet divinam, quotiescumque metus eiusmodi sit, ut excuset a culpa violantes Praeceptum, si foret Ecclesiasticum. Casus praesertim occurrere poterit quoad Excommunications Const. *Apostolicae Sedis*, ut in App. I, N. I, § I, Cens. VI, VII, XII; § II, Cens. V et VI. Hoc tamen principium, ut per se evidens est, applicari nequit casu, quo Lex sive explicite sive simpliciter aliter disponat. Exemplum habes in Duello. V. Bullam *Apostolicae Sedis* App. I, N. I, § II, Cens. III.

III. Ut Censura Papae reservetur, praeter Conditiones n. II modo recensitas, requiritur praeterea, *exceptis tamen Casibus Eadem specialiter reservatis*, ut Peccatum sit publicum notorietate vel iuris, idest, ut sit in iudicio probatum, vel facti, nempe ita notum, ut in tota vicinia nulla possit tergiversatione celari; nam ab occultis Papae *simpliciter* reservatis absolvere possunt Episcopi.

Dixi: *Ut Censura Papae sit reservata*; duo etenim sunt Casus Papales, qui reservantur ratione *sui et sine censura*, ideoque ab iis etiam incurruntur, qui *reservationem ignorant*;

(1) Id est ad incurriendam Censuram requiritur, ut effectus sit completus vel secutus.

scilicet Accusatio falsa sive per se sive per alium de sollicitatione contra Sacerdotem (1), et Receptio Donorum a *Regularibus* stricte dictis utriusque sexus (2). Idem valet de Casibus quos Episcopi, etiam cum Censura, sibi reservant, nam Reservatio Episcopalis fit propter Peccatum. Caeterum ad Episcopales etiam Reservationes requiruntur Conditiones n. II sub 3 enumeratae.

IV. Nulla est Reservatio in Mortis sive *Articulo* sive *Periculo*, puta in naufragio, praelio, et similibus adiunctis. Requiritur tamen ut Moribundus, si sui compos sit: a) Absolutionem petat; b) Scandalum, si quod *publice* dederit, meliori, quo *tunc* poterit, modo reparet; c) Parti laesae, nisi iniuriae reparationem potuerit et voluerit remittere (v. gr. Ecclesiae, cuius Bona fidei suae commissa usurpavit), prius satisfaciat, vel, si id *tunc* nequeat, sufficientem cautionem praebat, aut saltem, si eam *tunc* praestare non possit, iuret se, ut primum poterit, satisfaturum: *Perpetuo* impotens neque ad cautionem praestandam, neque ad iuramentum de satisfaciendo tenetur; d) Si Peccato reservato annexa est Censura, Episcopo, vel *speciali* modo Papae reservata, et a qua Sacerdos absolvere non possit, promittat (pro

(1) Benedict. XIV, Constit. *Sacramentum Poenitentiae*, die 1 Iunii 1741.

(2) Clemens VIII, Constit. *Religiosae*, et Urbanus VIII, Constit. *Nuper*; et Homo Apostolicus, Tract. XIII, n. 8-9.

foro externo iuret) sese praesentaturum Superiori habenti facultatem , si convaluerit, secus in eandem reincidit Censuram ; e) Si sermo sit de Crimine valde enormi, ante absolutionem iuret (pro foro interno promittat) de eo non amplius perpetrando.

V. Reservatio Papalis *perpetuo* cessat , et iure communi, adeoque *generaliter etiam* delegabili, fit *Episcopalis* (1), erga :

1. Personas quae sui iuris non sunt, ut Uxores, Filiosfamilias, et Pueros, qui sub Parentum potestate vivunt :

2. Mulieres, nisi expresse Censura notentur, ut Moniales Clausuram violantes :

3. Personas Religiosas, et eos, qui communem vitam sub Superioris dependentia, et sub Regula degunt; huiusmodi sunt Regulares sive Religiosi , etiam quoad Censuras ante ingressum in Religionem contractas ; possunt namque a Praelatis suis vel horum delegato absolvi (2) :

(1) Nam ad dubium propositum :

Utrum per Constitutionem *Apostolicae Sedis* derogatum ulla ex parte fuerit potestati, quam ius et consuetudo universalis Episcopis concederat circa impeditos personaliter Romam proficisci? Secretarius S. Congr. Poenitentiariae, etiamsi *privato prorsus modo*, respondit: *Nihil esse innovatum.* (In Comm. Episcopi Patavini n. 218).

(2) E. gr. « Monachi vero et Canonici Regulares, » quocumque modo se in Claustro percusserint, non » sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundum » providentiam sui Abbatis disciplinae subdantur. Et » si discrecio Abbatis non sufficit ad eorum correctio- » nem, est providentia Dioecesani Episcopi adhibenda. » Cum illorum absolutio sive Monachorum etc. Nos in

4. Sexagenarios : 5. Infirmos, scilicet laborantes morbo gravi et diuturniori , licet non mortifero , ut quartana et simili : His adde Debiles sive Delicatos non valentes ferre labores itineris , nec non Valetudinarios et membrorum destitutionibus Impeditos : 6. Impuberes, etsi absolutionem petant pubertatem iam adepti : 7. Ad carcerem perpetuum et ad triremes Damnatos, et similes : 8. Obstri-

» Religionis favorem, et ut evagandi materia subtrahatur, maiorem eis gratiam exhibere volentes, eorum Praelatis, quod etiam talibus (Monachis violentas manus in Clericum vel Monachum iniicientibus) ab solutionis beneficium impertiri valeant indulgemus. » V. Acta S. S., Vol. X, Append. pag. 441, in adnotationibus.

Insuper quoad Censuram: « *Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem Casibus et Personis, de quibus iure vel Privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.* » Sic ait Clariss. Avanzini in suo Commentario pag. 87: « Articulus Constitutionis Apostolicae Sedis, de quo agimus... est Censura reservata Romano Pontifici, servatis tamen limitationibus iure vel Privilegio permissis: quibus ipsis verbis Censurae satis indicatur, eius articuli interpretationem eandem esse, quae in iure iam facta reperitur. Quoad limitationes confer Auctores Theologiae Moralis vel Canonistas. »

Inter quos eminent Clarissimus De Varceno, qui in suo Compendio Th. Moralis Tom. I, pag. 236, edit. octava, sic habet ad rem: « Tantum hoc Privilegium circa Casus Papales, tam *speciali modo* reservatos, quam *simpliciter* reservatos cum Censura, Pius Papa IX per suam Constitutionem Apostolicae Sedis Superioribus Regularibus reliquit, iuxta verba Art. II — Excommunicationum simpliciter reservatarum: Exceptis quoad reservationem Casibus et Personis, de quibus iure vel Privilegio permittitur, ut *Episcopus aut alius absolvat.* »

ctos cura alendi familiam eiusque bona administrandi, vel gerendi publicum Officium, quod sine publico detrimento non possit derelinqui: 9. Collegialiter viventes, ut Milites, Seminaristae, Convictores, etc.: 10. Servos: 11. Pauperes qui non sint Mendici vagabundi: 12. Denique caeteros omnes qui Romanam proficisci nequeant sine gravi sui vel suorum damno, sive *temporali* sive *spirituali*. Hi omnes censemur *perpetuo* impediti, nisi spes *fundata* adsit, fore ut intra quinquennium Romanam facile adire possint: Nec per Litteras aut Procuratorem Romanum tunc adire tenentur, quia ius non obligat Reos, nisi ut personaliter adeant Papam. V. S. ALPHON. Lib. VII, tract. De Cens. Eccl. n. 89 (1);

(1) Novissime vero quaesitum fuit a S. Congr. Romanae et Universalis Inquisitionis: « 1º Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Sacerdotem adprobatum devolvi absolutionem Casuum et Cen-surarum, etiam speciali modo Papae reservatorum, quando Poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi Sanctam Sedem? 2º Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per litteras ad Emissum Cardinalem Maiorem Poenitentiarium pro omnibus Casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale Indultum praeterquam in Articulo Mortis ad obtainendum absolvendi facultatem? — » Feria IV, die 23 Iunii 1886 Em.mi ac Rev.mi Patres Cardinales, in rebus fidei Generales Inquisitores, suprascriptis dubiis mature persensis, respondendum esse censuerunt: — Ad I. Attenta praxi S. Poenitentiariae, praesertim ab edita Constitutione sa. mem. Pii PP. IX, quae incipit *Apostolicae Sedis, negative.* Ad II *affirmative*: At in casibus vere urgentibus, in quibus absolutio differri nequeat, absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo Confessariorum Conscientia oneratur dari posse

unde si id praestante nequeant, ad aliud non tenentur. Si vero Poenitens *perpetuo*, idest per quinquennium, impeditus sit adire Episcopum, a quocumque Confessario absolvi potest.

Si vero impedimentum *temporaneum* sit, aut *diuturnum* ex. gr. saltem semestre, absolutio ab Episcopo tribui nequit, nisi *indirecte*, idest cum onere Poenitentis, et praestito ab eo iuramento (in foro interno promissione), impedimento sublato, se sistendi Papae vel facultatem ab eo habenti, ad huius mandata suscipienda, idque sub poena *reincidentiae*. Si nec Episcopus per semestre adiri possit, Poenitens a quocumque Confessario absolvi poterit, cum onere ut supra. Quod si impedimentum semestri brevius sit, at necessitas adsit celebrandi vel communicandi aut timor ne Poenitens diu remaneat in mortali, et ob temporis angustiam vel aliis de causis ne ad Episcopum quidem *statim* recurri possit, a quocumque Confessario, sed *ad effectum* tantum, absolutio dari potest. Absolutio autem *ad effectum* ea est quae da-

» *absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a Cen-*  
» *suris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis*  
» *sub poena tamen reincidentiae in easdem Censuras,*  
» *nisi saltem infra Mensem per epistolam et per me-*  
» *dium Confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.*  
» *Facto verbo cum Sanct.mo Feria IV, die 20 Iulii*  
» *1886, Sanct.mus resolutionem Em.morum adprobavit*  
» *et confirmavit. »*

JOSEPHUS MANCINI  
S. R. et U. Inquisit. Notarius.

tur, ut, non obstante Reservatione (quae per talem absolutionem ne indirecte quidem auferatur), Poenitens nunc a Peccati macula mundetur, et, si necessitas adsit, communicare aut celebrare valeat.

VI. Notandum praeterea sunt Regulæ practicæ sequentes de Reservatione:

1. Reservatio Papalis sine Censura itemque Episcopalis cum Censura, afficit *immediate Confessarium*, non vero *Poenitentem*. Hic igitur, si Peccatum commiserit reservatum in loco, ubi commissum est, ab eo absolvi poterit in loco, ubi non est reservatum, nisi eo tendat in fraudem reservationis, idest « fine unico et principali... ut alibi facilius » absolvatur, et ut proprii Pastoris (*Ordinarii*) iudicium aufugiat. » (S. ALPHONS. *Homo Apostolicus*, tract. XVI n. 136-140). Contra vero absolvi non poterit in loco ubi est reservatum, licet commissum fuerit in loco ubi non est reservatum. Ob eandem rationem utraque ista Reservatio afficit etiam ignorantibus.

2. Quod n. V dictum fuit de facultate Episcoporum impeditos adire Romam absolvendi a Papalibus, valet quoque pro Confessario simplici relate ad Casus, quos Episcopi sibi reservarunt.

3. *Indirecte* quoque a reservatis absolvitur, qui validam Confessionem *bona fide* apud non habentem facultaten instituit, dum-

modo aliud Peccatum non reservatum clavibus subiecerit.

4. Excepto Iubilaeo, tollitur Reservatio per Confessionem, licet nullam aut etiam sacrilegam, factam tamen habenti facultatem, et in qua reservatum accusatur.

5. Tollitur etiam per Confessionem validam factam habenti facultatem licet Poenitens Casus reservati (inculpabiliter tamen) obliviscatur, excepto Casu in quo positive praesumitur quod, si facultatem habens audivisset Peccatum, absolutionem distulisset.

6. Demum tollitur quoque per Confessionem Peccati *dubie* reservati factam non habenti facultatem, etiamsi illud postea noscatur ut *certo* reservatum.

In Casibus igitur sub Regula 4<sup>a</sup> 5<sup>a</sup> 6<sup>a</sup> postea ad Superiorem recurrere haud opus est. In Casu sub Regula 3<sup>a</sup>, practice loquendo, idem ordinarie resolvendum erit, quia Poenitens fere semper in *bona fide* remanebit.

7. Casus impedimenti (sive perpetui sive semestris) Romam adeundi *apud Nostros* in Patagonia contingere vix possunt, cum Vicarius et Praefectus Nostrarum Missionum per amplissimas, quas a S. Pontifice obtinent absolvendi Facultates, S. Sedem Poenitentibus praesentem reddant. Nam ipsi facultatem habent: « Absolvendi ab omnibus Censis suris etiam speciali modo in Bulla Apostolicae Sedis diei 12 Octobris 1869 (1) Romano

(1) V. Append. I, sub N. I huiusmodi Bullam.

» Pontifici reservatis , excepta absolutione  
» Complicis in Peccato turpi » (1). Nec non  
eandem Facultatem communicandi Sacerdo-  
tibus idoneis , qui in eorum Missionibus la-  
borabunt (2).

VII. Confessarii nostri Missionarii ab Or-  
dinario loci approbati, omnibus Facultatibus  
in §§ sequentibus enumerandis uti possunt,  
quin speciali aliqua Superioris Generalis li-  
centia aut communicatione indigeant , exce-  
ptis Facultatibus :

1º Dispensandi in impedimento petendi  
debiti *ex incestu* (quae tamen omnibus Con-  
fessariis ab Episcopo et Praefecto Nostrae  
Missionis in Patagonia concedi solet) : 2º A-  
periendi Litteras S. Poenitentiariae, quae di-  
riguntur Doctori seu Magistro in Theologia  
(qui modus hodie perraro occurrit); et 3º  
Quae nobis ex solo Folio S. Poenitentiariae  
competunt.

§§ II.

**Facultates absolvendi a Censuris et  
Casibus S. Sedi reservatis Nostris  
Confessariis ad tempus concessae (3).**

I. Confessarii Nostri ab Ordinariis locorum  
approbati, quamvis non Missionarii, omnibus  
Facultatibus in Folio S. Poenitentiariae con-

(1) V. Append. III, N. III-16; et N. X-11.

(2) V. Append. III, N. III-28; et N. X-26.

(3) V. Huiusmodi *Facultates* in App. II,

tentis, de licentia tamen et Superioris communicatione, uti possunt ad tempus praefinitum, in actu Sacramentalis Confessionis et pro Foro Conscientiae dumtaxat, et ita ne debeant eaedem Facultates cuilibet manifestari, nisi necessitas aut utilitas id exegerit.

*Explicatio.* a) Dictae Facultates valent tum intra, tum extra Missiones, nec ad determinatum Casuum numerum coarctantur.

b) Exerceri possunt tantum in actu Confessionis Sacramentalis, et pro Foro solo Conscientiae vim habent. Quare qui vi harum Facultatum absolvitur (aut dispensatur), ab Ordinario pro Foro Externo, si Crimen (aut impedimentum Matrimonii vel Irregularitas) publicum fieret, ut non absolutus (aut non dispensatus) habetur (1).

c) Nemini, praeterquam in casu necessitatis aut utilitatis, manifestandae sunt. Hanc ob causam S. Poenitentiaria mandavit, ut non nisi merus Facultatum Textus typis edatur, praemisso tantum generali titulo: *Maior Poenitentiarius etc.* Necessitas aut utilitas, de qua supra, adesse posset casu quo Delictum, aut Impedimentum, vel Irregulari-

(1) *Forum* idem sonat, ac *Iurisdictio*, *Tribunal iustitiae*. Duplex est: *Internum* et *Externum*. *Internum* dicitur auctoritas, quam in Animas et res mere Spirituales exercet Ecclesia in Sacramento Poenitentiae et in Foro Conscientiae. Pro *Externo* vero intelligitur auctoritas quam habet Ecclesia in Personas extra Tribunal Poenitentiae, aut Forum Conscientiae. *Forum Externum* dicitur etiam *Contentiosum*. V. § I, N. I-1 sub b). — Et FERRARIS V. *Forum* n. 62-64.

tas, a quo Poenitens absolutus vel dispensatus fuit, postea publica fierent, et Ordinarius absolutionem vel dispensationem pro Foro etiam Externo admittere vellet, si fides ipsi fieret Poenitentem pro Foro Interno legitima cum facultate fuisse absolutum vel dispensatum. Verum, ut per se patet, huius rei fidem facere Confessario non licet, nisi ad Preces Poenitentis vel cum huius licentia.

§ III.

**Facultates quibus gaudent Confessarii  
Nostri in Patagonia ex delegatione  
Superiorum respectivae Missionis<sup>(1)</sup>.**

I. Delegari potest a Superioribus Missionum Nostrarum, in Patagonia et in Vicariatu Mendesin. et Gualaquiran. Reipublicae Aequatorialis, Sacerdotibus idoneis illic laborantibus: « Facultas absolvendi — sicut dictum est — ab omnibus Casibus Papae etiam speciali modo reservatis » in Constitutione Apostolicae Sedis diei 12 Octobris 1869 (2). V. Append. III, N. III-16 et N. X-11; App. IV, N. II-11.

II. Excipitur tamen Facultas absolvendi:  
a) Complicem in Peccato turpi, nisi in Mortis Articulo et dummodo *tunc alias Sacerdos, licet non approbatus ad Confessiones,*

(1) V. huiusmodi *Facult.* in App. III.

(2) V. hanc Constit. sub App. I, N. I.

*sine gravi exoritura infamia et scandalō, non possit excipere Morientis Confessionem.* (Vid. Append. I, N. I, § I, Censura X specialiter reservata).

b) Sacerdotem qui Complicem, ut supra, absolvere praesumpserit.

c) Personam cuiuscumque sexus per se ipsam aut per alium falso denunciantem Sacerdotem aliquem de Sollicitatione in Confessione: qui Casus sine Censura, sed *specialissime* reservatur; iuxta Decretum S. C. Inquisitionis diei 17 Iunii 1866, quod sic se habet: « In Facultatibus, quibus Episcopi » aliique locorum Ordinarii ex Concessione » Apostolica pollut absolvendi ab omnibus » Casibus Apostolicae Sedi reservatis, exci- » piendos semper in posterum, et exceptos » habendos esse, Casus reservatos in Bulla » Benedicti XIV, quae incipit: *Sacramentum Poenitentiae, idest Casus Sacerdotis attentantis absolutionem Personae Complicis in Peccato turpi, et Personae cuiuscumque sexus falso denunciantis*, ut diximus supra, Sacerdotem aliquem de Sollicitatione.

d) Ab Haeresi (1) et Apostasia a Fide (2)

(1) Quid sit haeresis V. App. II in adnot. ad n. III.

(2) *Apostasia* triplex est: 1<sup>o</sup> *A Fide*, et est recessus totalis a Fide; 2<sup>o</sup> *A Religione*, et est criminosus recessus ab Ordine Religioso cum animo non revertendi; 3<sup>o</sup> *Ab Ordine*, et est quando Clericus in Sacris constitutus ad statum laicalem se transfert, dimisso habitu clericali. Apostatae *a Fide* incidunt in omnes Poenas haereticorum; Apostatae ab *Ordine Religioso* in Excommunicationem Summo Pontifici, vel proprio Supe-

et a *Schismate* (1) quoscumque etiam Ecclesiasticos tam Saeculares quam Regulares, qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur (nisi in locis Missionum in quibus impuni grassantur Haereses, deliquerint); vel qui iudicialiter abiuraverint, (nisi isti nati sint, ubi impune grassantur Haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi, in Haeresim fuerint relapsi, et hos in Foro Conscientiae tantum). V. App. III, N. III-15, et N. X-10; App. IV, N. II-10.

*Nota.* — Facultas absolvendi et dispensandi in quacumque Simonia (2) conceditur sub conditione: *In Reali, dimissis Beneficiis, et super Fructibus* (Beneficiorum) *male perceptis, in iuncta aliqua eleemosyna vel poenitentia salutari arbitrio dispensantis, vel etiam retentis Beneficiis, si fuerint Parochialia, et non sint qui Parochiis praefici possint.* V. App. III, N. III-5 et N. X-3; App. IV, N. II-3.

Vix opus est memorare Censuras, quae latae sunt pro Romani Pontificis Electione

riori reservatam; (*V. Elench. Privileg. tit. Apostatae*) Apostatae ab *Ordine Sacro* incidunt in infamiam.

(1) *Schisma* est separatio ab unitate Ecclesiae. Si sit sine aliquo errore contra Fidem, dicitur *Schisma purum*; si cum aliquo errore contra Fidem, dicitur *non purum*. Schismatici puri incidunt in Excommunicationem Papae reservatam, et eorum receptatores in Excommunicationem nemini reservatam: non puri, et eorum receptatores incidunt in easdem poenas, in quas incidunt haeretici.

(2) Quid sit Simonia et quomodo distinguatur V. App. I, N. I, §§ II in adnot. ad Cens. VIII et IX.

*specialissime* reservatae, uti sunt tres Casus sequentes:

1º Tractationes et Pactiones, quae Summo Pontifice vivente fiunt de alio post eius mortem eligendo, vel excludendo. 2º Exercitium Astrologiae Judiciariae ad inquirendum de statu Reipublicae Christianae, sive de vita aut de morte Pontificis regnantis. 3º Casus publici, etiam in iudicium non deducti, violatae immunitatis seu libertatis Ecclesiae. Quae omnes non comprehenduntur inter Facultates communicandas; at in praxi vix unquam occurrere possunt.

III. Nunc autem *pro praxi* concludendum est, Missionarios Nostros in Provinciis Patagoniae sive Septentrionalis sive Meridionalis vi Façultatum, quas ex communicatione respectivorum Superiorum *habere solent*, absolvere posse ab omnibus omnino Censuris et Casibus Reservatis, exceptis sequentibus:

1º Complicis, quod Deus avertat, in re turpi, ut supra dictum est. N. II sub a).

2. Sacerdotis, qui Complicem in Peccato turpi absolvere praesumpserit, nisi in Casu de quo n. V versus finem, § I, *sive ad effectum tantum etc.*

3. Personae cuiuscumque sexus per se vel per alium falso accusantis Sacerdotem de Sollicitatione in Confessione, ut supra n. II sub c).

4. Schismatis, Haeresis et Apostasiae in Casibus, de quibus supra n. II sub d).

5. Casibus ad Forum Ordinarii deductis, vel de facili deducendis, ut in § I n. I-2 sub b). Nam quod facile deducendos attinet, prudentia iubet, ut ab iis absolvendis abstineamus; at *potestas ipsa* absolvendi non limitatur per Facultates, quas nostri Missionarii a Vicario et Praefecto Patagoniae accipere solent.

6. Censuris ab homine, ut in § I n. I-2 sub a).

7. Casibus quos Ordinarius sibi reservavit: V. § I, n. I-1 (1).

8. *Suspensionibus* et *Interdictis* in Constitutione *Apostolicae Sedis* memoratis, quorum relaxatio *arbitrio* Summi Pontificis vel Ordinariorum remissa est (App. I, N. I, § VII, Cens. I, VI, VII; § IX, Cens. II; § X sub n. I, 1<sup>o</sup> 2<sup>o</sup> 4<sup>o</sup>; II et 2-I): vel quae in *Communitates* lata sunt (App. I, § VII, Cens. I; § IX, Cens. I; § X n. 2-I). Itemque Interdictis localibus.

Rarissime igitur Poenitentem, rite dispositum, propter Casum Papalem inabsolutum dimittere oportebit, sive quod 1<sup>o</sup>. Paucissimi sint Casus, in quibus vel ex Folio Sacrae

(1) Eiusmodi non sunt illi, quos Constitutio *Apostolicae Sedis* Episcopis reservavit. V. App. I, N. I, § III. Hi comprehenduntur Facultatibus, quibus Missionarii Nostri ex communicatione eorum Superiorum gaudere possunt: sunt revera Casus Papales, et hoc tantum sensu Ordinariis reservati quod, licet Papales sint, Ordinarii omnes ab iis absolvere valeant. Quare v. gr., nisi Ordinarius *Procurationem abortus* sibi reservaverit, facultas ab ea absolvendi comprehenditur Facultatibus concedi solitis.

Poenitentiariae, vel ex Facultatibus Vicarii aut Praefecti Patagoniae, vel Superioris Missionis in Vicariatu Reipublicae Aequatorialis Confessariis nostris communicatis, non iuvemur, sive quod 2º. Paucissimi illi Casus rarissime ocurrant; sive quod 3º. Poenitens, defectu alicuius ex Conditionibus n. II, III § I recensitis, vel ipsam Censuram, vel Reservationem non incurrit; sive quod 4º. Propter causas n. IV, V, VI, § I allegatas Reservatio aut *penitus* sublata fuerit, aut *indirecte*, aut saltem *ad effectum* tollatur.

§ IV.

**Facultates Dispensandi  
in Irregularitatibus (1).**

I. Confessarii Regulares quoad Exteros nihil possunt in Irregularitatibus *ex defectu* (2): iusta tamen de causa dispensare

(1) Irregularitas, stricte sumpta, est impedimentum Canonicum susceptionem Ordinum Sacrorum et susceptorum usum impediens. Igitur Confessarii ordinarii quoad Irregularitatem nihil possunt, ne tempore quidem Iubilaei, nisi tamen ea proveniat ex Censurae violatione, et sint ad hoc nominatim delegati. Nec sufficeret potestas ipsis concessa absolvendi a Censuris et Casibus reservatis, cum Irregularitas non sit Censura, quia ex sententia communiore et probabiliore hoc nomine *Censurae* veniunt tantum Excommunicatio, Suspensio et Interdictum. — S. ALPH. L. VIII, n. 341.

(2) « Superiores vero Regulares dispensare possunt: » 1º Cum suis Subditis in omnibus Irregularitatibus occultis provenientibus ex Delicto, excepto Homicidio voluntario, ut Episcopi cum Dioecesanis, ex cessione SS. Pontificum, praesertim S. Pii V, qui

possunt in omnibus provenientibus ex alio Delicto occulto, quam ex Homicidio voluntario (quo casu facultas a Generali vel a Superioribus Missionis obtainenda est), et ad Forum Contentiosum non deductis. Semper tamen requiritur, ut diximus, iusta causa, secus Dispensatio esset invalida (S. Alphons. L. VII, n. 353). Nota tamen ad incurram Irregularitatem *ex Delicto* requiri scientiam Irregularitatis, nec eam incurri in dubio sive *iuris*, sive (Homicidio excepto) *facti* (1).

» hanc Facultatem concedit etiam pro Homicidio ante ingressum in Religionem patrato: 2º In Irregularitatibus ex defectu quoad Bigamiam Similitudinariam, Interpretativam et etiam Veram. » V. DE VARCENO, Comp. Th. Mor. T. I, edit. VIII, pag. 236, n. 2º et 3º. (Quid autem sit Bigamia, V. FERRARIS, V. *Bigamia* → GURY, edit. 8<sup>a</sup>, Tom. II, pag. 1041 — S. ALPH. Hom. Apost. Tract. XIX n. 131-138 et Lib. VII, n. 435-436 et seqq.: nec non apud omnes Theol. Moral. in Tract. de Irregularitatibus, praesertim apud *De Varceno* Comp. Theol. Moral. T. II, pag. 586). — Idem docet Gury in suo Compendio Theol. Mor. edit. VIII, T. II, pag. 116, scilicet, Superiores Regulares cum suis Subditis dispensare posse: « 1º In omnibus Irregularitatibus occultis ex Delicto, excepto Homicidio voluntario, ut Episcopi cum Dioecesanis: 2º In Irregularitatibus quoad defectum animae ob dementiam, si periculum eius cessavit: 3º Quoad defectum corporis, v. gr. quoad defectum natum. Haec tamen Irregularitas ex se cessat per Professionem Religionis: 4º Quoad Bigamiam etiam Veram, et defectum publicum Lenitatis. » Quid et quotuplex sit *Bigamia* V. etiam App. III. N. III, in adnot. ad. n. 2.

(1) *Dubium iuris* est dubium de aliquo iure, lege, praeecepto, statuto, etc. praesupposito ad honestatem actionis exercendae; v. gr. cum dubito, an adsit tale ius, an sit lata talis lex, an impositum tale praeeptum, ex. gr. ieunandi, audiendi Sacrum et huiusmodi. *Dubium facti* est cum dubitatur de aliquo facto

Vicarius et Praefectus Missionum nostrarum in Patagonia, nec non Rector Maior vel Superior pro Missionibus Vicariatus Reipublicae Aequatorialis, Facultatem sibi concessam communicare solent:

« Dispensandi in quibuscumque Irregularibus, exceptis illis, quae vel ex Bigamia Vera, vel ex Homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus Casibus, si praecisa necessitas Operariorum ibi fuerit, si tamen, quoad Homicidium voluntarium, ex huiusmodi dispensatione scandalum non oriatur. » V. Append. III, N. III-2 et N. X-1; App. IV, N. II-1.

Sed quoad exercitium Ordinum susceptorum tantum, et exceptis illis quae proveniunt vel ex Bigamia vera vel ex Homicidio voluntario, vel ex ipso Ordinis aut iurisdictionis exercitio, dum quis ex sententia ab ipsis (Vicario vel Praefecto) prolata ab illo suspenditur.

### § V.

#### **Facultates Dispensandi in Inabilitatibus.**

I. Confessarii Nostri dispensare possunt in Inabilitate ad celebrandum, quam incurrint

eiusque conditione aliqua spectante ad honestatem actionis exercendae, v. g. cum dubito, an recitaverim Officium næcne? An confessus sim tale commissum Peccatum et huiusmodi. V. FERRARIS, V. Conscientia, n. 29 et 30: et DE VARCENO, Theol. Moral. T. I, pag. 36.

in actu Confessionis etc. Sollicitantes ad turpia, nec non Sacerdotes Missae Sacrificio ad Sortilegia abutentes (1).

Neutra tamen contrahitur ab ignorantibus, et ex responso S. Poenitentiariae ea, quae infligitur Sollicitantibus, non incurritur in Foro Conscientiae, nisi post iuridicam denunciationem et condemnationem: quod idem, propter paritatem rationis, dicendum *videtur* de Sacerdote Missae Sacrificio ad Sortilegia abutente, et *certo* de hoc dicendum est casu, quo de brevi dispensationem obtainere non posset, nec interim sine infamia a celebrazione abstinere.

Nihil tamen possunt quoad Inabilitates ad *Beneficia* retinenda aut obtainenda ex procuratione Abortus, ex Simonia (V. tamen supra § III, n. II-*Nota*), vel ex alia causa contractas; idemque dicendum de Inabilitatibus ad *Officia* et *Dignitates* (2).

(1) *Sortilegium* est Divinatio per sortes: sortes autem possunt esse *Divisoriae*, *Consultoriae*, et *Divinatoriae*. Primae adhiberi solent quandoque in partitione Bonorum, et istae in electionibus Ecclesiasticis sunt semper prohibitae: secundae si coniunctae sint cum reverentia, et fiducia in Deum, stante rationabili causa, sunt licitae; secus essent tentatio Dei: tertiae sunt superstitiosae, et semper illicitae.

(2) Id constat: 1º Ex Bulla *Effrenata* Sixti V, et Gregorii XIV, Bulla *Sedes Apostolica* in procurantes abortum Foetus animati, effectu secuto, praeter Excommunicationem et Irregularitatem, quae propter Homicidium voluntarium incurritur, statuerunt etiam Inabilitatem ad *Beneficia*, tum retinenda, tum de novo obtainenda. 2º A concilio Tridentino et a S.to Pio V Bulla *Cum primum*, in Simoniacos, praeter nullitatem

§ VI.

**Facultates  
relaxandi Vota et Iuramenta.**

I. Confessarii Nostri in omnibus Votis Simplicibus, dummodo non sint specialiter Sanctae Sedi reservata, et iuribus tertii non praeiudicetur, dispensare, et ideo a fortiori ipsa in alia Pia Opera commutare possunt. Vota S. Sedi specialiter reservata quinque sunt: *Castitatis Perpetuae, Ingressus in Religionem approbatam, Peregrinationis ad Limina SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ad S. Jacobum in Compostellis, et ultramarinae sive in Terram Sanctam.* Solam Peregrinationem ultramarinam non quidem Dispensatione, sed Commutatione relaxare possunt. Vicarius autem Patagoniae communicare etiam potest Facultatem:

« Dispensandi et commutandi Vota Simplicia in alia Pia Opera, et dispensandi ex rationabili causa in Votis Simplicibus Castitatis et Religionis (1). » V. n. 4 ex Appendice III, N. III. Praefectus quoque pollet eadem Facultate, excepto tamen *Voto Religionis.* V. n. 2 ex Append. III, N. X; App. IV; N. II-2.

collationis aliasque poenas, sancita fuit Inabilitas ad alia Beneficia retinenda vel de novo obtainenda, in quantum de Simonia Confidentiali vel Reali in Beneficio Ecclesiastico agitur.

(1) Sive Temporaneis sive Perpetuis.

II. Iuramenta Pia in honorem Dei facta a Confessariis nostris in alia pia opera commutari possunt, dummodo iuribus tertii non praeiudicetur. Similiter etiam Vota Iurata, exceptis quatuor Votis specialiter S. Sedi reservatis modo memoratis (1).

Votorum et Iuramentorum *Dispensatio* vel *Commutatio* etiam extra Confessionem fieri potest, semper tamen requiritur iusta causa ad dispensandum vel commutandum.

### § VII.

## Facultates circa Matrimonium.

I. — 1. Confessarii dispensare possunt in Voto Castitatis post *Consummatum* Matrimonium emisso (quod etiam ab altera parte indirecte irritari potest), ita ut pars Voto ligata debitum *etiam petere* possit. Votum autem Castitatis Perpetuae ab utroque Coniuge *et* mutuo consensu emissum, nec dispensando, nec commutando relaxare valent, nec alter Coniux *irritare* poterit. Pro huiusmodi igitur Voti dispensatione ad S. Poenitentiariam recurrentum est. Missionarii autem non

(1) Ceterum alioquin ex Theologia Morali computum est, haec Vota pro Reservatis non esse habenda, si fuerint emissae sub obligatione levi, vel ex metu etiam levi ab alio incusso, vel non fuerint perfecta ex parte materiae. S. Alph. Lib. III, n. 258, Not. III. Idecirco Votum Castitatis emissum post Matrimonium non est reservatum, ut in § sequenti exponemus.

indigent hoc recursu, quia gaudent hac Facultate, ut in praecedenti paragrapho iam diximus: Scilicet: « Dispensandi et commutandi Vota Simplicia in alia Pia Opera, et dispensandi ex rationabili causa in Votis Simplicibus Castitatis et Religionis. » V. n. 4 et n. 2 ex App. III, N. III et X; Append. IV, N. II-2, non tamen *Religionis.*

2. Si Votum Castitatis Perpetuae emisum fuerit a Coniuge ante Matrimonium, Confessarii Votum remittere nequeunt (alter tamen Coniux indirecte *irritare* potest), sed tantum dispensare ad petendum debitum, et ideo Poenitentem monere tenentur, ipsum vel ipsam obligari ad Votum servandum tam extra licitum usum Matrimonii, quam si Marito vel Uxori supervixerit. Missionarii vero per Facultatem modo dictam, etiam absolute in hoc casu a Voto dispensare possunt.

3. Duplici iure Confessarii Nostri Facultatem habent dispensandi cum Coniugibus in impedimento petendi debiti orto ex Incestu cum Consanguineo vel Consanguinea alterius Coniugis in primo vel secundo gradu, scilicet 1º Iure *Communicationis* cum Regularibus, quo iure si utantur, obtinenda erit licentia specialis pro usu huius Privilegii (non autem pro singulis Casibus in particulari) a Generali vel Provinciali, aut saltem a Superiore Locali. 2º Ex Folio Sacrae Poenitentiariae V. Facult. XI, App. II.  
II. Quoad Impedimenta Dirimentia, *occulta*

tamen et cum quibus Matrimonium iam *contractum est, et quidem in facie Ecclesiae, ac bannis (nisi in iis dispensatum fuerit) publicatis,* dupli gaudemus Facultate. V. Fol. S. Poenitentiariae, F. XII et XIII, App. II.

III. Ex sententia, quam S. Alphonsus non improbabilem iudicat, dispensare possumus, etiam quando agitur de Matrimonio *Contrahendo* et dummodo, ob imminens periculum infamiae vel scandali, Nuptiae moraliter differri nequeant, in impedimento Voti Simplicis Castitatis Perpetuae.

Missionarii autem etiam extra Casum illius urgentissimae necessitatis in praedicto Voto dispensare possunt ex Facultate n. 4, App. III, N. III, et n. 2 App. III, N. X; nec non n. 2 App. IV, N. II.

IV. Vicarius autem et Praefectus Missio-  
num Nostrarum in Patagonia sequentes Or-  
dinarias sibi a S. Sede quoad Matrimonia-  
les Dispensationes, delegatas Facultates com-  
municare possunt:

1. « Dispensandi, inter Catholicos tan-  
» tum, in 3º et 4º Consanguinitatis et Affi-  
» nitatis gradu simplici et mixto tantum, et  
» in 2º 3º et 4º mixtis, non tamen in 2º solo  
» quoad futura Matrimonia; quod vero ad  
» praeterita etiam in 2º solo, dummodo nullo  
» modo attingat primum gradum, cum his  
» qui ab Haeresi vel Infidelitate convertun-  
» tur ad Fidem Catholicam, et, in praefatis  
» Casibus, prolem susceptam declarandi le-

» gitimam. » V. n. 6 et n. 4 ex App. III,  
N. III et X, et App. IV, N. II-4.

2. « Dispensandi super Impedimento pu-  
blicae Honestatis iustis (Iustitiae) ex Spon-  
» salibus proveniente. » V. n. 7 et n. 5 ex  
App. III, N. III et X; App. IV, N. II-5.

3. « Dispensandi super Impedimento Cri-  
» minis, neutro tamen Coniugum machinante,  
» et restituendi ius amissum petendi debitum.  
— n. 8 et n. 6 ex App. III, N. III et X;  
App. IV, N. II-6.

4. « Dispensandi in Impedimento Co-  
» gnationis Spiritualis, praeterquam inter  
» levantem et levatum. » Formula I, n. 9  
et Formula IV, n. 7 ex App. III, N. III et  
X; App. IV, N. II-7.

5. « Hae vero Dispensationes Matrimo-  
» niales videlicet n. 1. 2. 3. 4. non conce-  
» dantur, nisi gratis et sine ulla mercede et  
» cum clausula: *Dummodo Mulier rapta non*  
*fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate Ra-*  
*ptoris non existat.* Et in dispensatione tenor  
» huiusmodi Facultatum inseratur, cum ex-  
» pressione temporis ad quod fuerint con-  
» cessae. » Formula I n. 10, et Formula  
IV, n. 8 ex App. III, N. III et X; App.  
IV, N. II-8.

6. « Dispensandi cum Gentilibus et In-  
» fidelibus plures Uxores habentibus, ut post  
» conversionem et Baptismum, quam ex illis  
» maluerint, si etiam ipsa Fidelis fiat, reti-  
» nere possint, nisi prima voluerit converti. »

F. I, n. 11, et F. IV, n. 9 ex Append. III,  
N. III et X; App. IV, N. II-9.

V. Insuper Vicarius et Praefectus Aposto-  
lici Patagoniae gaudent etiam extraordinariis  
sequentibus Facultatibus communicabilibus:

1. « Dispensandi in utroque Foro cum Ca-  
tholicis pauperibus eorum iurisdictioni sub-  
iectis, qui ad Sanctam Sedem recurrere  
nequeunt in Matrimoniis contrahendis: 1º  
Super impedimento primi gradus Affinita-  
tis in linea collaterali ex copula licita pro-  
veniente pro *triginta* Casibus; 2º Super im-  
pedimento secundi gradus Consanguinitatis  
admixti cum primo in linea transversali  
pro *quindecim* Casibus; 3º Absolvendi con-  
trahentes, in omnibus et singulis Casibus  
supra expositis, dummodo opus sit, ab in-  
cestus reatu et Censuris, imposta poeni-  
tentia salutari, ac prolem tam susceptam  
quam suscipiendam legitimam declarandi. »

V. App. III, N. IV-30 et N. XI-28.

2. « Dispensandi in utroque foro *ad de-  
cennium* cum Catholicis eorum iurisdictioni  
subiectis », praeter supradictos gradus sub  
n. IV-1 concessos, « super quibusdam aliis  
Cognitionis et Affinitatis gradibus, vel  
alias coniunctis seu inter se attinentibus,  
nempe: 1º In tertio et quarto cum attin-  
gentia secundi gradus Affinitatis; 2º Imo  
in tertio quoque et secundo cum attingen-  
tia primi gradus Affinitatis in linea trans-  
versali, dummodo tamen nullo modo attin-

» gat Consanguinitatis primum; 3º In primo  
» gradu Affinitatis ex copula tantum illicita  
» resultantis, sive per lineam collateralem  
» sive per lineam rectam, dummodo certe  
» constet quod Coniux non sit ab altero con-  
» trahentium genita (1); 4º Absolvendi in  
» utroque Foro eos, qui in gradibus huius-  
» modi etiam scienter contraxerint (Matri-  
» monium) ab excessibus et Excommunica-  
» tionibus, aliisque Censuris et poenis eccle-  
» siasticis, iniuncta ipsis pro modo culpae  
» poenitentia salutari, ac prolem inde susce-  
» ptam legitimam decernendi. » V. App. III,  
N. V-31; et N. XII-29.

3. « Dispensandi pro *triginta* Casibus cum  
» suis Subditis, exceptis Italos de quibus non  
» constet Italicum Domicilium omnino dese-  
» ruisse, super Impedimento impediente Mix-  
» tae Religionis, dummodo cautum omnino  
» sit Conditionibus ab Ecclesia praecepsis ac  
» praesertim de amovendo a Catholico Con-  
» iuge perversionis periculo, deque conver-  
» sione Coniugis acatholici pro viribus cu-  
» randa, ac de universa utriusque sexus prole  
» in Catholicae Religionis sanctitate omnino  
» educanda. » V. Append. III, N. VI-32; N.  
XIII-30.

4. « Dispensandi super quibusdam impe-  
» dimentis Matrimonium dirimentibus, iam

(1) Additur: « Ut Matrimonium inter se contrahere,  
» seu in eo etiam scienter contracto, renovato tamen  
» consensu coram Parochio et testibus, remanere va-  
» leant. »

» eis concessis singillatim sumptis, etiam in  
» Casibus, in quibus duo vel plura simul  
» concurrent ex praedictis, nec non concur-  
» rente quoque impedimento mixtae Com-  
» munionis, si etiam pro huius dispensatione  
» concedenda Facultatem iam obtinuerint (1):  
» accendentibus tamen iustis iisque gravibus  
» causis, et in urgentioribus Casibus, pro  
» quibus tempus non suppetat recurrendi ad  
» Sanctam Sedem (2). » V. Append. III, N.  
VII-33; et N. XIV-31.

5. « Communicandi omnes Facultates ex-  
» traordinarias eis tributis, dispensandi sci-  
» licet cum Catholicis suae iurisdictioni  
» subiectis, circa *impedimenta Matrimonium*  
» *dirimentia*, Sacerdotibus sacro Ministerio  
» in eorum Vicariatu vel Praefectura fungen-  
» tibus (3). » V. App. III, N. VIII-34; et  
N. XV-32.

Demum Summus Pontifex voluit ac om-  
nino praecepit, ut Vicarius et Praefectus

(1) V. huiusmodi Facultatem superius sub n. V-3.

(2) Additur: « Dummodo singulae Facultates, sive  
» primitus ab eis obtentae, sive eis renovatae, adhuc  
» perdurent, et si agatur de Facultatibus pro certo  
» Casuum numero taxative eisdem concessis, hunc nu-  
» merum non excedant. »

(3) Additur quoque: « Accendentibus tamen iustis  
» iisque gravibus causis, et in urgentioribus casibus  
» pro quibus tempus non suppetat recurrendi ad San-  
» ctam Sedem, et dummodo singulae Facultates, sive  
» primitus ab eis obtentae, sive eis renovatae, adhuc  
» perdurent, et si agatur de Facultatibus pro certo Ca-  
» suum numero taxative eisdem concessis, hunc nu-  
» merum non excedant. »

Apostolici Patagoniae Facultatibus *Extraordinariis* sub N. IV-30; V-31, et VI-32; nec non N. XI-28, XII-29 et XIII-30, quae prostant in App. III, concessis, non utantur nisi gratis et gravibus atque gravissimis dumtaxat occurrentibus causis, « *iniuncta tamen aliqua congrua eleemosyna in Pium Opus arbitrio ipsius Ordinarii eroganda:* » quarum *prima*e sunt concessae *ad Casuum numerum determinatum*, secundae vero *ad Decennium et tertiae ad Triginta Casus.* V. Facultates sub Formulis *Extr. a), Extr. aa)* et aliae *Extr.* concessae in App. III, N. IV, V et VI sub 30, 31 et 32; nec non N. XI, XII, XIII sub 28, 29, 30.

§ VIII.

**Facultates dispensandi a Ieiunio et a Cibis Vetitis, induendi vestes saeculares, equitandi, deferendi, recipiendi ac expendendi Pecunias etc.**

I. A Vicario et Praefecto Nostrarum Missionum in Patagonia communicari etiam potest Facultas « Dispensandi, quando expedit videbitur super esu Carnium, Ovorum et Lacticiniorum tempore Ieiuniorum, et Quadragesimae, non tamen per generale Indultum sed in Casibus particularibus. » V. App. III, N. III-27, et N. X-16, in hoc vero numero abest clausula *Non tamen etc.*; App. IV, N. II-16.

II. Missionarii Nostri in Patagonia habent Facultatem :

1. « Induendi se vestibus saecularibus,  
» si aliter vel transire ad Loca eorum curae  
» commissa, vel in eis permanere non poterint. » V. App. III, N. III-25.

2. « Induendi vestes saeculares, si aliter  
» vel transire vel permanere non poterint in  
» Locis Missionum. » V. App. III, N. X-23;  
App. IV, N. II-23.

III. Insuper Missionarii Nostri Apostolici in Republica Argentina de licentia tamen respectivorum Superiorum gaudent Facultate :

1. « Vescendi per iter tam in accessu,  
» quam reditu ex Missione, et in Locis, ubi  
» necessitas ac salutis incommoda exegerint,  
» Carnibus, Ovibus, et Lacticiniis in die Ie-  
» iunii ab Ecclesia, et eorum Congregationis  
» Regula praescripti, ita ut ob salutis incom-  
» moda etiam ab observantia Ieiunii exempti  
» remaneant, omni tamen scandalo remoto,  
» onerata conscientia Oratoris *super veritate*  
» *et gravitate Causae.* » V. App. III, N. I,  
Facult. I; et N. II, Facult. I.

2. « Induendi se linea interiori tunica,  
» femoralibus, et calceamentis ad se tuen-  
» dos ab aëris intemperie, si aliter transire  
» vel permanere non poterint. » App. III,  
» N. I, Facult. VIII.

3. « Equitandi, vel alio modo progre-  
» diendi, donec ad Missionis Loca pervene-

» rint, et in aliis, ubi necessitas urget: »  
V., ut supra, Fac. IX.

4. « Deferendi, recipiendi ac expéndendi  
» pro suis urgentibus, ac aliorum necessita-  
» tibus Pecunias, quae a Piis Benefactoribus  
» ipsis fuerint oblatae, vel alio legitimo modo  
» ad eos pervenerint. » V., ut supra, Fac. X.

Ex concessione Pii IX Rescripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die 14 Ianuarii 1875, et Leonis XIII sub die 2 Martii 1884, pro Missionariis Nostris Apostolicis in Republica Argentina (1).

---

## CAPUT II.

### Facultates circa Benedictiones.

#### § I.

#### Regulae Generales.

I. Benedictiones pertinent:

a) Aliae ad solum Papam, ut Benedictio Agnorum Dei (sive Imagines cereae chrismate delibutae).

b) Aliae ad solos Episcopos, et harum duplex est genus. Aliae enim sunt *Reales*, seu SS. Oleis adhibitis perficiendae, et hae

(1) V. huiusmodi Rescripta in App. III, N. I et II.

ad Episcopos, ita pertinent, ut sine Indulto Pontificio simplicibus Sacerdotibus ab Episcopis delegari nequeant. In solo Pontificali inveniuntur. Aliae ita ad Episcopos pertinent, ut ab aliis etiam facultatem habentibus fieri valeant. Inveniuntur in Rituali et Missali sub titulo: *Benedictiones ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendae.*

c) Aliae ad Sacerdotes, quae pariter duplicitis sunt generis; nam:

1. Quasdam dare potest omnis Sacerdos, eas nimirum quae in Missali vel Rituali praescribuntur faciendae per «*Sacerdotem*» sine addito. Has tamen simplex Sacerdos impertiri non poterit: 1º In alterius Ecclesia, aut in Capellis vel Oratoriis Ecclesiae annexis, Pastore, aut Rectore invito seu contradicente; 2º Publice et solemniter in locis iurisdictionis alterius; 3º Si in favorem Pastoris obstent Consuetudo immemorabilis vel Conventio.

2. Quasdam nonnisi Parochus vel ab ipso delegatus dare potest, eas nimirum quae in Rituali notantur, ut a Parocho fiant, *vel alio Sacerdote*; tunc enim intelligitur: ab alio Sacerdote de licentia Parochi. De iure autem Parochi est Benedictio Domorum in Sabbato Sancto; Benedictio communis super Fruges, et Agrorum, saltem si solemniter fiat; item forte Benedictio Domorum alio tempore extra Sabbatum Sanctum facienda, quia in Rituali quoad hanc Benedictionem

fit mentio Parochi (Cavalieri tamen negat); demum Benedictio Fontis Baptismalis, Nuptiarum, et, excepto caso legitimae Consuetudinis contrariae, Mulierum post partum.

II. Nobis non licent Benedictiones : *a)* Quae ad solum Papam pertinent. *b)* Episcopales si agatur vel 1<sup>o</sup> de iis, in quibus Sacra Unctio adhibenda sit, vel 2<sup>o</sup> de benedicendis novis Crucibus aut Imaginibus cum concursu populi et cum Solemnitate extra Ecclesias Nostras (1), vel 3<sup>o</sup> de Ecclesiis, Oratoriis, Coemeteriis alienis; aut de Vasis, Vestimentis ac Paramentis Sacris in usum alienarum Ecclesiarum. *c)* Parochiales quin et simplicium Sacerdotum in Casibus, de quibus n. I sub c. 1.

III. Licet Superioribus :

1. Benedicere Ecclesias Nostras, itemque Oratoria et Coemeteria Nostra.

2. Si haec Loca Sacra polluta fuerint, ea reconciliare aqua, etiam per se ipsos, praesertim in Locis ubi Episcopus per duas dietas, idest per 40 milliaria adiri non potest, benedicta, mixta, ex Pontificalis Romani praescripto, Sale, Cinere et Vino. Prudentia tamen iubet, ne his duabus Facultibus *publice* utantur, nec nisi cum Ordinarii abfuerint aut gravate id facerent.

(1) Si talis Benedictio non fit a Superioribus Maioribus Congregationis, ut constat ex Privilegiis concessis Praelatis Regularibus, a Iulio II et Paulo III, ut refert Cavalieri in Commentario Decreti 188

3. Benedicere quaecumque Vasa, Vesti-  
menta ac Paramenta (1) (Formulis *Missalis*  
aut *Ritualis Romani* non vero Formula *Pon-*  
*tificalis*), aliaque ad Cultum Divinum perti-  
nentia in quorum Benedictione Sacra Unctio  
non adhibetur, sed pro suis tantum Eccle-  
siis: quam tamen Facultatem aliis subdele-  
gare nequeunt (2).

*Nota.* — Purificatorium, Velum et Bursa  
non necessario sunt benedicenda: item Cru-  
ces Altarium et Processionum non sunt be-  
nedicendae de praecepto; ideoque quilibet  
Sacerdos simplex private eas benedicere po-  
test, ut S. R. C. declaravit Decreto diei  
12 Iulii 1704.

2. *Probabilius* benedicenda sunt Cingu-  
lum et Palla.

3. *Certo autem Corporale, Amictus, Alba,*  
Manipulus, Stola, Casula et Mappae.

4. Pyxis et Lunula non debent conse-  
crari, sed probabilius tamen benedici. Lau-  
dabiliter benedicitur Ostensorium.

S. Rit. Congr., T. IV, pag. 113, et etiam Tamburinus,  
de iure Abbatum, T. II, disputatio 20, quaest. 5.

(1) Ut autem Paramentis Sacris ex Gossypio, Lino  
aut Lana confectis vetitum est. Ex Declaratione  
S. R. Congr. 28 Iulii 1881. V. Acta S. S. Vol. XIV,  
pag. 144.

(2) Missi tamen ex Nostris ad terras remotissimas  
Infidelium ad Fidem Christi praedicandam, etsi non  
Praelati, id ipsum possunt quod Superiores, in praec-  
cedentibus numeris 1, 2, 3 expressum. Paulus III,  
Bulla *Licet debitum*, die 18 Octobris 1549, pro Socie-  
tate Iesu.

5. Calix et Patena debent ab Episcopo consecrari.

IV. Episcopus et Praefectus Nostrarum Missionum Missionariis Nostris et aliis simplicibus Sacerdotibus etiam Saecularibus delegare possunt Facultatem :

a) « Benedicendi Paramenta et alia Utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit Saera Unctio; et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta; et in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo. » V. F. I, n. 13, et F. IV, n. 12 et 14 ex App. III, N. III et X; App. IV, N. II-12 et 14.

b) Vicarius Apostolicus Patagoniae Septentrionalis gaudet Facultate : « Conficiendi Olea Sacra cum Sacerdotibus, quos potuerint haberi; et si necessitas urgeat, etiam extra Diem Coenae Domini. » V. F. I, n. 12, ex App. III, N. III.

c) Praefectus vero Apostolicus in Patagonia et Superior Missionis in Vicariatu Republicae Aequatorialis gaudent etiam Facultate : « Consecrandi Calices, Patenas et Altaria Portatilia cum Oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas seu quadraginta milia, vel Sedes vacet. » V. F. IV, n. 15 ex App. III, N. X; App. IV, N. II-15.

d) Delegatur quoque Vicario Nostro Episcopo Potestas deputandi aliquem Sacerdotem

in locis sibi subiectis cum Facultate : « Sede » vacante in casu necessitatis , consecrandi » Calices, Patenas et Altaria Portatilia Sa- » cris Oleis ab Episcopo tamen benedictis. » V. F. I, n. 28 in App. III, N. III.

e) Praeterea idem Vicarius subdelegare potest cuique e suis Sacerdotibus Missionariis Facultatem *confirmandi* seu administrandi Fidelibus Christianis sibi subiectis Sacramentum *Confirmationis* (1). Leo XIII , Brevi *Quum de consilio* sub die 20 Novembris 1883 Pro Vicario Apostolico Patagoniae Septentrionalis et Centralis. V. *Elench. Privileg.*, pag. 241, N. VI.

f) Praefectus quoque Apostolicus Patagoniae Meridionalis gaudet Facultate personali, *durante munere*, administrandi Fidelibus suae iurisdictioni subiectis Sacramentum Confirmationis , adhibito tamen Chrismate ab Episcopo Catholico confecto et absque Pontificalibus insignibus. — Ex rescripto S. Congregationis de Propaganda Fide diei 29 Iulii 1888. V. App. III sub N. XVI-33.

V. Benedictiones , quae vel de paecepto aut publice in Ecclesiis vel Oratoriis Publicis coram populo ad id congregato fiunt, extra Missam et Altare, dandae sunt cum Superpelliceo et Stola coloris Officii currentis, nisi

(1) Iuxta tamen Instructionem pro simplici Sacerdote Sacramentum Confirmationis ex S. Sedis Apostolicae delegatione administrante approbatam , quae prostat in App. ad Rituale Romanum.

alius color praescribatur; stando et aperto capite; manibus, nisi liber teneatur, iunctis; cum Ministro deferente Vas Aquae Benedictae, et Aspergillo, et Formula in Missali vel Rituali Romano praescripta aut a S. C. Rituum probata (1). Ad benedicenda ea, ad quae specialis Benedictio non habetur, adhiberi potest *Benedictio ad omnia*, quae in recentioribus editionibus Ritualis Romani invenitur, vel producendum est signum Crucis super re benedicenda cum formula: *In nomine Patris ☩ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Deinde res ipsa cum Aqua Benedicta aspergitur. Si Crux habeat effigiem Crucifixi, adhibenda est Benedictio pro Imaginibus. Si Benedictio fiat ad Altare, omnia recitantur in cornu Epistolae, et Sacerdos utitur Pluviali, aut si hoc haberi non possit, stat sine Planeta et Manipulo, cum Alba et Stola. Res benedicendae, si sint Paramenta Sacerdotalia, poni possunt super Altare; secus si sint Candelae et alia huiusmodi, quae collocanda sunt super Mensam opportuno loco paratam, ut in medio ante Altare, vel ad cornu Epistolae. Ecclesia proprius Benedictionum locus est, licet non necessario omnium; nam certarum rerum, ut Aquae,

(1) In principio cuiusque Benedictionis semper dicuntur:

- ꝝ. Adiutorium ☩ Nostrum in Nomine Domini.
- ꝝ. Qui fecit Coelum et Terram.
- ꝝ. Dominus Vobiscum.
- ꝝ. Et cum Spiritu tuo.

Paramentorum Sacerdotalium et similium Benedictiones, ex causa rationabili, fieri possunt in loco profano sed honesto.

VI. Ad applicandas Indulgencias Crucibus, Numismatibus, Coronis, etc., nullus alius requiritur ritus praeter signum Crucis, etsi in Indulto dicatur: *In forma Ecclesiae consueta* (1), nisi tamen certae Caeremoniae et Formulae a S. Sede approbatae, precise prescriptae fuerint, ut in Benedictione Scapularium, Coronarum VII Dolorum et Rosariorum S. Dominici etc., ac dum agitur de recipiendis Fidelibus in has et alias similes Societates. Caeterum in omnibus Benedictinibus Stola, Aspersio cum Aqua Benedicta et Form. deprecatoriae adhiberi solent (licet non de praeecepto), praesertim si fiant coram Fidelibus, quia ut *Bouvier* observat, permulti Benedictionis efficaciam addubitarent, si solo Crucis signo absolveretur.

VII. *Benedictio Personarum.* — 1. Missionarii Nostri Apostolici in Republica Argentina, de licentia tamen Superioris Missionis impetriri possunt Benedictionem Apostolicam seu Papalem cum Indulgentia Plenaria Chri-

(1) Hoc constat ex Decretis S. C. Indulgenciarum diei 11 Aprilis 1840, 7 Ianuarii 1843 et 24 Ianuarii 1848. — Insuper advertendum est, quod Benedictio cum applicatione Indulgenciarum non est danda nisi Imaginibus ss. Numismatum, quae repreäsentent Sanctos in Martyrologio Romano descriptos et Canonizatos, iuxta Decretum S. Indulg. Congr. die 16 Iunii 1674.

stifidelibus in Articulo Mortis constitutis (1): Iuxta Ritum et Formam a Benedictio XIV praescriptam (2). Pius IX Rescripto S. Congr. de *Propaganda Fide* diei 14 Ianuarii 1875 et Leo XIII Rescripto 2 Martii 1884 pro iisdem Missionariis. V. Facultatem VIII, App. III, N. I; et N. II, Fac. VIII.

2. Denique Vicarius Apostolicus Patagoniae Septentrionalis et Centralis Facultatem habet impertiendi Christifidelibus solemnem Benedictionem Apostolicam seu Papalem cum Indulgentia Plenaria *ter* in anno, sive diebus Nativitatis et Resurrectionis D. N. I. Christi, et alio die ab eodem seligendo, dummodo ipsi Fideles, vere poenitentes, sacramentaliter confessi ac Sacra Communione refecti, pias ad Deum preces pro sanctae Fidei propagatione et iuxta Summi Pontificis intentionem effuderint. V. App. III, N. IX, et App. VIII.

*Nota.* — Benedictiones, de quibus facta est mentio in supradicto § I habentur in *Rituali Romano* Pauli V Pontificis Maximi iussu edito anno 1614 et a Benedicto XIV aucto et castigato.

(1) Quae vero Facultas nunc per Communicationem Privilegiorum competit omnibus Confessariis nostris.

(2) Quae prostat in quolibet Rituali Romano.

§ II.

**Facultates benedicendi Res Sacras  
cum applicatione Indulgentiarum A-  
postolicarum et Divae Birgittae a  
S. Sede concessae.**

*Nota.* — Uni eidemque Obiecto *plures di-  
versae Indulgentiae*, quin et eodem tempore  
pluribus sive eiusdem generis Obiectis omnes  
Indulgentiae eisdem propriae, unica Bene-  
dictione sive unico signo Crucis, applicari  
possunt.

Excipe, ut supra § I, n. VI.

1. « Sacerdotes Nostri Facultatem habent  
» benedicendi Cruces, Sacra Numismata, et  
» Coronas Precatorias cum applicatione In-  
» dulgentiarum in forma Ecclesiae consueta  
» et ab Apostolica Sede praescripta ad nu-  
» merum per Superiores pro tempore Con-  
» gregationis Nostrae benevisum, ac tam  
» intra Missionum et Exercitiorum Spiritua-  
» lium curriculum, quam extra illud. »  
Pius VI, Brevi *Sacrosanctum Apostolatus* sub  
die 21 Augusti 1789 pro Redemptoristis.

Virtute huius Communicationis illas In-  
dulgentias Reales applicare possumus, quae  
communiter Apostolicae seu Papales dicun-  
tur, et quarum Summarium Pius IX Dec-  
creto S. C. Indulgentiarum de die 14 Maii  
1853 publicari iussit (1): Quae tamen Indul-

(1) V. Huiusmodi *Summarium et Decretum* in App. VI.

gentiae applicari nequeunt Crucibus, Crucifixis, Statuis, et Numismatibus ex Stamno, Plumbo, aliave materia fragili, ut in huiusmodi Decreto inferius relato videri potest (1). Ferreis tamen, si Cruces Viae Crucis excipias, quae ex ligno esse debent, applicari possunt. Rosaria autem vel Coronae etiam ex materia fragili facilisque consumptionis esse possunt, imo ex Vitro vel Crystallo, dummodo globuli sint ex Vitro solido et compacto, ut constat ex Declaratione S. Congr. Indulg. de die 29 Februarii 1820.

2. Similiter Superiores Nostrae Congregationis (2) suis Subditis, ad certum numerum (3), communicare possunt Facultatem, tempore Missionis, applicandi Coronis, Rosariis et Numismatibus Indulgentiam in Articulo Mortis, et alias dictas S. Birgittæ; Subditis autem ultramontanis permittere possunt, ut hanc Facultatem etiam extra Missiones aliave Exercitia Praedicabilia exercere valeant. Benedictus XIV, Rescripto de die 13 Iulii 1745, Praeposito Generali Piorum Operariorum.

3. Praeterea tempore Functionum Missionum et Exercitiorum tantum, idest etiam

(1) V. App. IV, n. 3.

(2) Generalis scilicet, vel Provincialis, aut etiam Locales.

(3) Quidam limitant ad 1000, ultra quem numerum Superiores non posse delegare affirmant; sed gratis omnino. Quidquid vero sit, ampliora Privilegia Nobis per Communicationem accedunt.

in Novenis, Triduis et alia quacumque continua Praedicatione, Coronas Precatorias (1), sine numeri limitatione, cum applicatione Indulgentiarum Apostolicarum et earum, quae a S. Birgitta nuncupantur, benedicere possumus. Pius VI Rescripto 8 Octobris 1784 pro Congregatione Missionis.

4. Demum Missionarii Nostri in Patagonia degentes pollent Facultate sibi concessa die 2 Martii 1884 a Leone PP. XIII: « Benedicendi ad *quinquennium* extra Urbem » Coronas Precatorias, Cruces et Sacra » Numismata, eisque applicandi Indulgen- » tias *Apostolicas* seu *Papales*, nec non divae » Birgittae nuncupatas, de consensu Ordina- » rii. » V. App. III, N. II, Facult. VII (2).

(1) Quascumque, sive Sacratissimi Rosarii B. M. Virginis, sive alterius cuiusvis denominationis.

(2) Nunc vero post Communicationem Privilegiorum cum Redemptoristis haec Facultas ad tempus evadit omnino inutilis, cum multo plura Nobis sint concessa in perpetuum et absque limitatione loci. Quae et quot sint huiusmodi Indulgentiae V. *Compendium Fa-*  
*cultatum et Gratiarum Spiritualium, etc.* Cap. V, §§ IV,  
V et VII; necnon App. VI huius Opusculi.



## CAPUT III.

### Facultates circa SS. Missae Sacrificium et Sacramentorum administrationem.

I. Missionariis Nostris Apostolicis in Republica Argentina, ex Rescriptis S. Congr. de Propaganda Fide sub diebus 14 Novembris 1875 et 2 Martii 1884, concessa est Facultas :

1. « Celebrandi per mare Missam in navibus anchoratis (1) super Altari portatili, cum assistentia tamen alterius Sacerdotis, dummodo sit mare tranquillum et nullum adsit irriverentiae periculum. »

2. « Celebrandi pariter Missam etiam in terra sub Altari portatili, in locis tamen ubi non erunt Ecclesiae, vel Oratoria privata, et ubi erunt Oratoria privata absque praeiudicio Indultariorum. »

3. « Faciendi Sacrum vel una hora ante auroram, vel alia post meridiem legitima concurrente causa. »

4. « Indultum Personale perpetuum Altaris privilegiati ter in hebdomada, dummodo intuitu huius Privilegii nihil praeter consuetam eleemosynam percipient. »

V. App. III, N. I et II.

(1) In Concessione Leonis XIII, sub die 2 Martii 1884 conditio de *navibus anchoratis* abest.

5. Insuper novissime Leo Papa XIII Rescripto diei 31 Maii 1892 indulxit ut Sacerdotes Nostri Missionarii in Republica Aequatoriali « uti possint privilegio Altaris » portatilis, ubi Ecclesiae seu publica Orationia desunt, servatis servandis » idest quae a rubricis praescribuntur. V. App. IV, N. I sub 2.

*Nota.* — Huiusmodi tamen facultates quoad Missae Sacrificium, post communicationem Privilegiorum eum Redemptoristis evadunt fere inutiles, cum multo plura Nobis concessa sint. V. Comp. *Facultatum et Gratiarum Spiritualium etc.*, Cap. IV.

II. Idem Missionarii Nostri ex Vicarii et Praefecti Patagoniae, vel Rectoris Maioris aut eorum Superioris in Vicariatu Aequatorialis Reipublicae communicatione, gaudent Facultate:

1. Singulis secundis Feriis non impeditis Officio 9 Lectionum, vel eis impeditis die immediate sequenti, celebrando Missam de requie in quocumque Altari etiam portatili, liberandi animas secundum eorum intentiōnem a Purgatorii poenis per modum suffragii. V. App. III, N. III-20; et N. X-21; nec non App. IV, N. II-21.

2. Celebrandi bis in die, si necessitas urget, ita tamen ut in prima Missa non sumpserint ablutionem, per unam horam ante auroram et aliam post meridiem sine ministro et sub dio et sub terra, in loco

tamen decenti, etiamsi Altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit (1). V. App. III, N. III-23, et N. X-17; App. IV, N. II sub 17.

3. Deferendi SS. Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii (2). V. App. III, N. III-24, et X-22; App. IV, N. II-22.

III. Insuper Praefectus Patagoniae Meridionalis et Insularum adiacentium, nec non Superior Missionis in Vicariatu Reipublicae Aequatorialis communicare possunt Sacerdotibus ibidem laborantibus Facultatem:

« Administrandi omnia Sacra menta etiam  
» Parochialia, Ordine et Confirmatione ex-  
» ceptis, et quoad Sacra menta Parochialia  
» in Dioecesibus ubi non erunt Episcopi, vel  
» Ordinarii aut eorum Vicarii, vel in Paro-  
» chiis ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt  
» de eorum licentia. » V. App. III, N. X-25;  
App. IV, N. II-25.

(1) Iuxta tamen Instructionem a S. Rituum Congr. die 12 Septembris 1857 edita pro Sacerdote Apostolicam Facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi, quae habetur in App. ad Rituale Romanum.

(2) Modus utendi huiusmodi Facultate, prostat in App. ad Rituale Romanum.

## CAPUT IV.

### Facultates circa Divinum Officium , libros prohibitos et Sacros Ordines, etc.

I. *Quoad Divinum Officium.* — 1. Missionarii Nostri Apostolici in Republica Argentina degentes ex licentia respectivorum Superiorum gaudent Facultate: Recitandi quindecim decades Rosarii B. M. V., si quandoque itineris, vel alia de causa, vel absque gravi incommodo Divinum Officium recitare nequeant, *onerata conscientia Oratoris super veritate et gravitate causae vel incommodi.* V. App. III, N. I, Facult. II, et N. II, Fac. II.

2. Imo iisdem Missionariis Nostris in Patagonia, vel in Vicariatu Reipublicae Aequatorialis degentibus concedi solet Indulatum: « Recitandi Rosarium 15 decadum, vel alias preces si Breviarium secum deferre non poterint, vel Divinum Officium, ob aliquod legitimum impedimentum, recitare non valeant. » V. App. III, N. III-26, et N. X-13; App. IV, N. II-13.

II. *Quoad libros prohibitos.* — 1. Missionarii Nostri Apostolici in Republica Argentina de *consensu* tamen respectivi Superioris uti possunt Facultate: « Legendi ac retinendi libros ab Apostolica Sede prohibitos etiam

» contra Religionem ex professo agentes ad  
» effectum eos impugnandi, quos tamen di-  
» ligenter custodiant, ne ad aliorum manus  
» deveniant, exceptis astrologicis, iudiciariis,  
» superstitionis, ac obscenis *ex professo.* »  
V. App. III, N. I, Facult. XI, et N. II,  
Facult. IX.

2. Praeterea Vicarius Apostolicus Patagoniae Septentrionalis et Centralis facultatem habet: tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam, ad tempus tamen, iis Sacerdotibus quos praecipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Righellini, Piggault, le Brun, De Potter, Bonham, J. A. Dulaure, *Fêtes et Courtisanes de la Grèce*, *Novelle di Casti*, et aliis operibus de obscenis, et contra Religionem *ex professo* tractantibus. V. App. III, N. III-21.

3. Eadem Facultate gaudent Praefectus Apostolicus Patagoniae Meridionalis et Superior Missionis in Vicariatu Reipublicae Aequatorialis tenendi scilicet et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam iis Missionariis quibus in Domino sibi expedire videbuntur libros haereticorum vel infidelium de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi in scriptis vel in voce, et aliquos quomodolibet prohibitos cum excepti- nibus enumeratis in App. III, N. X-24; App. IV, N. II-24.

III. *Quoad Ordines Sacros, etc.* — Vica-

rius Apostolicus Patagoniae in cuius Vicariatu Nostri de familia degunt, eorum aliorumque favore uti potest Indulto Apostolico quo sibi delegatur Facultas: 1. Conferendi Ordines extra Tempora, et non servatis interstitiis usque ad Presbyteratum inclusive, si Sacerdotum necessitas ibi fuerit.

2. Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob Operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint.

3. Praeficiendi Parochiis Regulares, eisque suos deputandi Vicarios in defectu Saecularium, de consensu tamen suorum Superiorum. V. App. III, N. III sub 1, 3, 22.

## CAPUT V.

### Facultates circa Indulgentiarum largitionem et Calendarium Romanum.

I. Missionariis Nostris in Patagonia et in Vicariatu Mendes. et Gualاقiran. Aequatorialis Reipublicae degentibus a Vicario et Praefecto Apostolicis, aut a Rectore Majore vel eorum Superiore delegari potest Facultas:

1. « Largiendi ter in anno Indulgentiam » Plenariam Fidelibus contritis, confessis ac » S. Communione refectis. »

2. « Concedendi eamdem Indulgentiam  
» primo Conversis ab haeresi, atque etiam  
» Fidelibus quibuscumque in articulo mortis,  
» saltem contritis, si confiteri non poterint. »

3. Insuper « concedendi Indulgentiam  
» Plenariam in Oratione 40 horarum ter in  
» anno indicenda diebus Episcopo benevisis,  
» Fidelibus contritis et confessis et Sacra  
» Communione refectis, si tamen ex concursu  
» populi et expositione SS. Sacramenti nulla  
» probabilis suspicio sit sacrilegii ab haere-  
» ticiis et infidelibus, aut offensionis a Ma-  
» gistratibus. »

4. Addi etiam solet. « Lucrandi sibi  
» easdem Indulgentias. » V. App. III, N. III  
sub 14, 17, 18 et 19; et N. X sub 18, 19, 20;  
App. IV, N. II sub 18, 19, 20.

II. Demum Missionarii Nostri in America  
Meridionali degentes gaudent omnes Facul-  
tate utendi Calendario Romano, ad instar  
Sociorum in Patagonia, Missionis causa, De-  
gentium. Ita Leo XIII vivae vocis oraculo  
anno 1887 Cardinali Parocchi Nostræ Congre-  
gationis Protectori benigne concessit. V.  
*Elench. Privileg.* p. 247-248.



# APPENDIX I

---

## N. I.

Catalogus omnium Censurarum Latae Sententiae (1),  
quae nunc vigent ex Constitutione Apostolicae  
Sedis (2) aliisque Documentis deceptae (3).

CONSTITUTIO APOSTOLICAE SEDIS (4)

---

## PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolicae Sedis moderationi convenit,  
quae salubriter veterum Canonum auctoritate  
constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum  
rerumque mutatio quidpiam esse temperan-  
dum prudenti dispensatione suadeat, Eadem

(1) Censura, quae venit a *censurando*, apud veteres Romanos significabat tum officium Censoris mores corrigentis, aut poenam infangentis. Unde occasione huius posterioris acceptio[n]is factum est, quod Censura significet Correctionem quamdam, et Punctionem, iuxta illud Iuvenalis Satyra I de Iunone canentis: *Dat re-niam Corvis, vexat Censura Columbas*. Nos autem nomine Censurae intelligimus hic solam Ecclesiasticam, *quae est Correctio, et Poena quaedam Spiritualis, ac Medicinalis pro Culpa inficta, privans Fidelem usu aliquorum Bonorum Spiritualium, per Ecclesiasticam Potestatem im-*

Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampr-

*posita, ut Fidelis delinquens a contumacia recedat.* Quae autem dividitur: 1º In *Excommunicationem, Suspensio-*  
*nem et Interdictum;* 2º In *Censuram a Iure et ab Ho-*  
*mine;* 3º In *Latae et Ferendae Sententiae.* Dicitur *a Iure,*  
quae fertur per modum Legis vel Statuti; *ab Homine,*  
quae ab aliquo Superiore fertur per modum Praece-  
cepti seu Mandati, aut per Sententiam particularem.  
Prima est perpetua et durat usque dum Lex abrogat-  
tur, secunda mortuo Superiore, vel iurisdictione pri-  
vato, corruit, si non sit contracta; prima est semper  
generalis; secunda potest esse generalis vel particularis.  
*Latae Sententiae* dicitur Censura, quae ipso facto in-  
currit ante Iudicis Sententiam; *Ferendae Sententiae*  
quae non ipso facto, sed post peccatum commissum,  
per Iudicis Sententiam infligi debet. Quando Censura  
exprimitur per verba praeteriti, praesentis indicativi  
vel imperativi, aut per aliquam ex hisce particulis:  
*Ipsa facta, ipso iure, eo ipso, ex tunc, mox, illico, om-*  
*nino, prorsus, continuo, protinus, sine alia sententia, est*  
*Latae Sententiae;* quando exprimitur per verba com-  
minatoria tantum, vel futuri, aut praesentis subiunctivi,  
vel fertur per operam et alterius ministerium,  
regulariter loquendo, solet esse *Ferendae Sententiae.* In  
dubio utrum Censura sit *Latae* vel *Ferendae Sententiae,*  
Censura est *Ferendae.* V. S. Alph. L. VII, n. 6, 7 et 8.  
Denique Absolutio a Censura dari potest a quocumque  
Confessario in foro interno, si Censura non est reser-  
vata. Si vero est reservata, ab eo cui est reservata.  
Censura inficta per Sententiam particularem, semper  
est reservata Superiori, qui Sententiam protulit. Ad-  
verte, quod Superior potest absolvere etiam in foro  
externo Reum, quamvis sit absens et invitus, licet Ab-  
solutio illicite daretur invito.

(2) Notandum quod per huiusmodi Constitutionem  
nihil est innovatum, nihil immutatum quoad Censu-  
ras *Ferendae Sententiae;* ideoque circa eas proceden-  
dum est secundum veteres Canones.

(3) V. Delvecchio, *T. Mor.* Tom. I, pag. 414, n. 562  
usque ad pag. 472 et n. 651.

(4) V. eamdem Constitutionem apud omnes Theologos  
Morales in eorum Operibus recentioribus editis.

dem revolveremus, Ecclesiasticas Censuras, quae per modum Latae Sententiae, ipsoque facto incurrendae, ad incolumentem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri, sive in iis, quibus Animarum cura commissa est, sive in ipsis Fidelibus dubietates, anxietates, angoresque Conscientiae; nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri Nobisque proponi ius simus, ut diligentि adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione perfecta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque Censuris sive Excommunicationis, sive Suspensionis, sive Interdicti, quae per modum Latae

Sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum Canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione convenient, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere (!).

(1) Quoad *Commentaria, Explanations vel Declaratio-*  
*nies* huiusmodi Constitutionis, quae Censuras limitat,  
inter plures V. Ballerini in adnotationibus ad Gury,  
Compend. Theol. Moral. Romae anno 1884 impressum,  
Cretoni, De Varceno, Vecchiotti, Formisano, Pedicini,  
De Martinis etc. Sed p[ro]ae ceteris clar. Avanzini et  
Pennacchi in elucubratissimis suis Commentariis in  
*Actibus S. Sedis* contentis; Bertapelle in quaestionibus  
propositis clero Patavino; D'Annibale Reatinus, et  
Ciotti Florentinus in Commentariis super hac Con-  
stitutione: nec non Del-Vecchio loco citato, et Fras-  
sinetti in sua Theologia Morali italico idiomate exarata: Tract. XIX.



§ I.

**Excommunicationes (1) Latae Sententiae (2) speciali modo Romano Pontifici reservatae (3).**

Itaque Excommunicationi *Latae Sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae* subiacere declaramus:

(1) Excommunicatio est Censura Ecclesiastica per quam homo baptizatus privatur bonis Spiritualibus communibus ex Ecclesiae dispositione pendentibus. Excommunicati alii sunt vitandi, alii tolerati: Vitandi sunt qui nominatim fuerint declarati per Sententiam Indicis Ecclesiastici, ut Excommunicati, ac specialiter et publice denuntiati: Caeteri vero dicuntur tolerati.

(2) Ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* Excommunicatio *Latae Sententiae* dividebatur in Maiorem et Minorem. Prima separat Fidelem a Communione Ecclesiae absolute: Secunda quoad aliquos effectus tantum; scilicet hac ultima privabatur Fideles Communione passiva seu receptione Sacramentorum, et electione passiva ad Beneficia Ecclesiastica; et incurribatur tantum propter illicitam cum Excommunicato vitando conversationem. Hodie vero est abrogata iuxta decisionem *S. Congr. S. R. Univ. Inquisit. die 10 Decembris 1883.*

(3) Quadruplicis generis sunt Excommunicationes *Latae Sententiae* ex iure novissimo post Constitutionem *Apostolicae Sedis*: I. Romano Pontifici *speciali modo* reservatae; II. Romano Pontifici *simpliciter* reservatae; III. Episcopis reservatae; IV. Nemini reservatae. Hinc quadruplex Excommunicationum Elenchus. Quae autem primo loco recensentur (excepta Absolutione Complicis in peccato turpi) ex Bulla *Coenae* fuerunt presumptae, atque ideo maiorem ob earumdem gravitatem, ad instar dictae Bullae, Romano Pontifici *speciali modo* reservatae sunt. Immo ex Decreto S. Officii 4 Aprilis 1871 statutum est, ut in Formulis facultatum, quas S. Congregatio de Propaganda Fide concedere solet,

I. Omnes a Christiana Fide Apostatas, et omnes ac singulos Haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

II. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem Apostatarum et Haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras (1) nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, et quomodolibet defendantes (2).

ubi mentio fit de Casibus in Bulla *Coenae* reservatis, substituentur Censurae *speciali modo* in Bulla *Apostolicae Sedi* Romano Pontifici reservatae, excepta *Absolutione Complicis in peccato turpi*. V. in App. III, N. III, *Formula I*, n. 16; et N. X, *Formula IV*, n. 11; nec non App. IV, N. II-11.

(1) *Per Apostolicas Litteras* intelliguntur illae quae directe a Romano Pontifice proveniunt, sive in forma *Brevis*, ut plerumque contingit, sive in forma *Bullae*, sive per *Epistolas encyclicas*, sive alia quavis extrinseca forma, quando in ipsis Litteris legitur: *De Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, vel Apostolica Auctoritate*. V. cl. Avanzini in suo Comm. n. 10, pag. 72. Quoad *Brevia et Bullas*, vide notam ad n. IX inferiorius positam.

(2) Hic quaeri potest: I. An scienter legentes ephemerides propugnantes haeresim incurvant in hanc Censuram? II. An legentes sive libros proprie dictos, eiusvis auctoris, sive ephemerides continentis haeresim incident in eandem Censuram?

Ad I. Suprema Sacra Universalis Inquisitio die 21 Aprilis 1880 respondit *Negative*.

Ad II. S. Indicis Congregatio respondit quoque *Negative*. V. etiam adnot. ad Facult. V, App. II.

Scienter tamen legentes publicationes periodicas in fasciculos ligatas, habentes auctorem haereticum et

III. Schismaticos, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

IV. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus, seu mandatis Romanorum Pontificium pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. Romanae Ecclesiae Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis Ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

VII. Cogentes sive directe, sive indirecte Iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal Personas Ecclesiasticas praeter canon-

haeresim propugnantes eandem incurront Excommunicationem. (Cong. Sup. S. Officii die 13 Ianuarii 1892).

nicas dispositiones : Item edentes Leges vel Decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas Litteras vel Acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem, vel executionem directe, vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes (1).

IX. Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato Eiusdem Romani Pontificis signatarum : nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplications huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum (2).

(1) *Litterae Apostolicae* sunt quae prodeunt sub Romani Pontificis nomine sive in forma *Brevis*, sive in forma *Bullae* vel *Encycliae*, vel quavis alia. *Acta* vero appellantur quae Romae geruntur Pontificis mandato sive spirituale sive temporale negotium continent, uti sunt processus, citationes, monitoria. *Legati* hic sunt qui a Pontifice ad Saeculares Principes mituntur Reipublicae causa; *Delegati* quibus aliquod negotium gerendum committitur. Ideo hic non comprehenduntur nec *Legati nati* quos vocant, nec *Episcopi* in his quae agunt ordinaria iurisdictione tamquam delegati Sedis Apostolicae.

(2) Nomine *Brevis Apostolici* veniunt illae *Litterae Pontificiae*, quae in membranis subtilibus et candidis, charactere latino, nitido, eleganti ac intelligibili sunt

X. Absolventes Complicem (1) in peccato turpi etiam in Mortis Articulo, si alias Sacerdos, licet non adprobatus ad Confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere Morientis Confessionem.

XI. Usurpantes aut sequestrantes Iurisdictionem, Bona, Redditus, ad Personas Ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes (2).

descriptae, et non sigillo plumbeo, sed cera rubea chordulis lineis inclusa, annulo Piscatoris sunt signatae, ac manu Secretarii subscriptae. *Nomine vero Bullae* veniunt illae *Litterae Pontificiae*, quae expediuntur sub plumbō, sive sigillo plumbeo pendente ex chordulis, conscriptae in membrana magis nigra et rudi, atque antiquo charactere gothicō, *Gratiam* aut *Iustitiam* continentēs; sicuti praxis habet, quod si Bulla expediatur in materia *Gratiae*, sigillum plumbeum pendeat ex chorda serica; si vero fuerit Bulla *Iustitiae* seu data in materia contentiosa, illud pendeat ex chorda de canaba, et hoc sigillum custoditur in palatio Vaticano per praesidem plumbi, et statim rumpitur post obitum Pontificis, sicut annulus Piscatoris. *Brevia* et *Bullae* inter se multipliciter differunt. Primo, quia *Brevia* a curia Romana expediuntur per Secretariam Apostolicam sub Annulo Piscatoris; *Bullae* vero expediuntur per Cancellariam Apostolicam sub sigillo plumbeo habente hisce temporibus ex una parte imaginem SS. Petri et Pauli, et ex altera nomen Papae regnantis impressum, quod sigillum est suum ultimum complementum, adeo ut ipsae *Bullae* ante illius apportionem needum expeditae censeantur, etc. V. Ferarisi, V. *Breve*, *Bulla*.

(1) Sub nomine *Complicis* veniunt non solum Mulieres, sed etiam Viri, tam Pueri quam Puellae, quamvis adhuc impuberes sint, quia verba Constitutionis sunt omnino generalia. Haec vero Censura afficit etiam Confessarios absolutionem Complicis in peccato turpi simulantes. Ex responso S. Cong. Poenitentiariae diei 1 Martii 1878.

(2) Ideoque qui usurpant vel sequestrant Bona qui-

XII. Invadentes , destruentes , detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, Loca aut Iura ad Ecclesiam Romanam pertinen-tia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes Supremam Iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favo-rem praebentes. Ex Const. Apostolicae Sedis, die 12 Octobris 1869.

XIII. 1. Canonicos , ac Dignitates Cathe-dralium Ecclesiarum vacantium , qui ausi fuerint concedere et transferre Ecclesiae va-cantis curam, regimen, et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore... in nominatum et praesentatum a laica potestate ex S. Sedis Concessione seu Privilegio ; vel, ubi Consuetudo viget, a Capitularibus ipsis, electum ad eandem vacantem Ecclesiam antequam nominatus exhibeat Bullas (si est Episcopus) ei cui de iure.

2. Nominatos et praesentatos vel ut su-pra electos a laica potestate ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen, ed ad-ministrationem suscipere audent sub nomine Provisoris, Vicarii Generalis, aliove nomine, ex concessione et translatione in eis per-aetam a Dignitatibus et Canonicis , aliisque,

dem Ecclesiastica, quae tamen ad Personas Ecclesias-ticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum, ut v. gr. sunt Bona Piorum Locorum, idest Monasteriorum, Nosocomiorum, Confraternitatum laicalium, et similium, non multantur hac Censura : attamen com-prehenduntur sub Censura Tridentina, de qua inferius § V n. I-1, et 1°.

qui deficientibus Capitulis, Vicarios depulant, aut vacantes Ecclesias legitime administrant.

3. Eos omnes, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cuiuscumque status, conditionis, praeminentiae et dignitatis fuerint.

« Si vero aliqui ex praedictis episcopali charactere sint insigniti in poenam *Suspensionis* ab exercitio Pontificalium, et *Interdicti* ab ingressu Ecclesiae ipso facto absque ulla declaratione incident, S. Sedi pariter reservatam. » Praeterea Canonici praefati fructibus, nominati iure eis quaesito, privantur. Ex Constit. Pii IX *Romanus Pontifex*, die 28 Augusti 1873 (1).

XIV. Omnes Ecclesiasticos, qui suffragante populo sine Ecclesiastica Auctoritate ad Parochi sive Vicarii officium electi, audent sive Ecclesiae sive Iurium ac Bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire munera Ecclesiastici Ministerii. Ex Decreto S. Congregationis Concilii a Pio IX approbato, die 7 Maii 1874 (2).

XV. Omnes nomen dantes Societati in eum

(1) V. *Acta S. Sedis* Vol. VII, pag. 401.

(2) Hoc tamen Decretum applicatur tantum ad Ecclesiasticos Provinciarum Venetae et Mediolanensis iurisdictioni subiectos: quoad ceteros habetur Censura lata contra *Impedientes* exercitium iurisdictionis Ecclesiasticae, ut supra Cens. VI; nec non *Usurpantes*, Cens. XI.

finem institutae vel instituendae, ut, quando-  
cumque Apostolica Sedes vacaverit, Populus  
Romanus concurrat in Summi Pontificis elec-  
tione, vel eam promoventes, aut ei quomo-  
documque faventes vel adhaerentes. Ex re-  
sponso S. Congr. Poenitentiariae et a Pio IX  
approbato, die 4 Augusti 1876.

XVI. Omnes denique Haereticorum sectis  
nomen dantes, vel ipsorum functionibus inter-  
venientes et quocumque modo cooperantes :  
silicet 1. Excommunicationem incurrint Pon-  
tifici *specialissime* reservatam omnes qui etiam  
sine voluntate adhaerendi Haeresi et solum-  
modo humani respectus gratia sua dant  
nomina Haereticorum sectis cuiuslibet deno-  
minationis: 2. A fortiori eandem Poenam  
incurrunt, qui intersunt Acatholicis functio-  
nibus aut *Servitiis*, ut dici solet, aut pree-  
dicantem audiunt eo consilio, ut eidem se se  
dedant, si (ut impie dicunt) ab eo persua-  
deri possint: 3. Item eandem Excommuni-  
cationem incurrint, qui alterius spiritualis  
ruinae fautores effecti, inducunt quomodo-  
cumque et curant, ut alii eant aut veniant  
ad aulas vel templa Haereticorum ad au-  
diendas *Conferentias*. 4. Tandem eam incur-  
runt Poenam omnes, qui typis publicant in-  
vitationes ad praefatas *Conferentias* et themata  
earumdem, propter favorem quem taliter a-  
gendo praebent Haeresis propagationi aut  
confirmationi... Imo si de Haereticorum libris  
agatur, quibus Haeresis docetur et sustinetur,

etiam ministri typographi secundarii (1) Maiorem incurrunt Excommunicationem *speciali modo* Pontifici reservatam... Ex Instructione Cardinalis Vicarii ad Romanos Cives amovendos a seductionis periculis, die 12 Iulii 1878 et a Leone PP. XIII sancita (2).

Deinde sic se habet Constitutio *Apostolicae Sedis*: « A quibus omnibus Excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generali concessionem absolvendi a Casibus et Censuris, sive Excommunicationibus Romanis Pontifici reservatis, nullo pacto sufficiente declaramus, revocatis insuper eorumdem respectu quibuscumque Indultis concessis sub quavis forma, et quibusvis Personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Institutis, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. »

(1) Sub nomine *Typographi secundarii* hic dicunt venire etiam *Correctores*, nam et ipsi officium in Typographaeo tenent.

(2) V. huinsmodi *Instructionem* Vol. XI, pag. 168 *Act. S. Sedis.* Haec tamen Censura Romanos tantum afficit. V. Delvechio Tom. I, pag. 438 n. XVI.

§ II.

**Excommunicationes Latae Sententiae  
Romano Pontifici simpliciter reser-  
vatae.**

Excommunicationi Latae Sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus :

I. Docentes vel defendantes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub Excommunicationis poena Latae Santentiae; item docentes vel defendantes tamquam licitam praxim inquirendi a Poenitente nomen Complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Constit. *Suprema*, 7 Iulii 1745; *Ubi primum*, 2 Iulii 1746, *Ad eradicandam*, 28 Septembris 1746.

II. Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos (1), exceptis quoad reservationem

(1) Privilegia Clericorum restringi possunt ad tria sequentia: 1º Ad Privilegium *Competentiae*, quo Clericus impar solvendo debitum, nequit ad id obstringi, nisi prius deductis ad honestam sustentationem necessariis: 2º Ad Privilegium *Canonis*, ratione cuius, Excommunicationem incurront qui manus in Clericos iniuste inferunt: 3º Ad Privilegium *Fori*, in eo consistens, ut Ecclesiastici nonnisi in Foro Ecclesiastico conveniri possint. Hodie viget ubique Privilegium quod vocatur *Canonis*. Quoad alia attendenda sunt Concordata inter S. Sedem et diversa Regna. Hoc vero Privilegium, quod *Canonis* appellari consuevit, cum sit in favorem non Personarum, sed Ordinis, latissime acceptum est. Clericorum ergo nomine hic veniunt etiam illi qui solum prima Tonsura sunt iniciati, et

Casibus et Personis, de quibus iure, vel Privelegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat (1).

III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes et quoslibet Complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

IV. Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis Sectis (2), quae contra Ecclesiam vel legitimas

habitum Clericalem deferunt, et alicui Ecclesiae sunt addicti: appellatione autem Monachorum hie omnes Regulares intelliguntur utriusque sexus, sive sint Clerici, aut Laici *Solemnibus* vel *Simplicibus* Votis adstricti, sive Novitii et etiam Sanctimoniales, immo et Heremitae qui ex voto aut pacto addicuntur alicui loco Sacro cum subiectione Episcopo, ut docet Suarez (D. 22, Seet. 1, n. 22).

(1) Ergo Superiores Regulares absolvere possunt sicut antea proprios Subditos ab huiusmodi Excommunicatione ob percussionem etiam gravem, enormem et publicam inflictam Clericis proprii vel alterius Ordinis, aut Cleri Saecularis. De Varceno Comp. Theol. Mor. Tom. I, Edit. 8, pag. 235-236.

(2) Scilicet Secta *Mazziniana*, *Societas emancipatrix ab Ecclesia Romana Catholica*, *Societates biblicae*, *Clerico liberales*, et aliae huiusmodi, praesertim Secta *Fenianorum*, quae etiam declarata fuit comprehensa sub Sectis in hoc articulo significatis per Decretum S. Rom. et Universalis Inquisit. feria IV die 12 Januarii 1870, hisce verbis: « Societatem Americanam seu Hibernicam, Fenianorum appellatam, comprehendi inter » Societates vetitas ac damnatas in Constitutionibus » Summorum Pontificum et praesertim in nuperima

Potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem Sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos Coryphaeos ac Duces non denunciantes, donec non denunciaverint (1).

V. Immunitatem Asyli Ecclesiastici violare iubentes, aut ausu temerario violantes (2).

VI. Violantes Clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerint, in earum Monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes, vel admittentes, itemque Mo-

» Sanctitatis Suae Pii IX edita die 12 Octobris 1869  
» incip. *Apostolicae Sedis.* » V. Avanzini in Comment.  
super eodem Constit. pag. 24-25.

(1) Facta autem denunciatione, ipso facto videtur eos a quovis Confessario posse ab Excommunicatione incursa absolvi. V. Avanzini in Comm. super Constit. *Apostolicae Sedis*, pag. 89.

(2) Loca quibus haec Immunitas *Asili Ecclesiastici* competit sunt illa quae ritu et speciali benedictione publico Dei cultui perpetuo dicantur, vel Fidelium cineribus condendis sacrantur, idest Ecclesiae etiam nondum consecratae, pollutae, interdictae et continentia aedificia, ut puta Sacristia, Porticus, Atrium, Coemeteria Christifidelibus sepeliendis addicta. Cetera alia loca Pia, ut Xenodochia, Nosocomia, Seminaria, modo auctoritate Episcopi sint erecta, Coenobia, Palatia S. R. E. Cardinalium, Palatum Episcopi, Oratoria auctoritate Ecclesiae erecta aut fundata, etc. immunia etiam sunt, et Privilegiis Immunitatis fruuntur omnes ibidem confugientes. Non gaudent tamen hoc Privilegio Immunitatis sequentes: 1. Publici Latrones et Grassatores viarum; 2. Depopulatores agrorum; 3. Homicidae proditorii; 4. Assassini et Cooperatores Assassinii; 5. Haeretici si confugiant ob Haeresim; 6. Rei laesae maiestatis in personam ipsiusmet Principis, et alii, iuxta Gregorii XIV Constitutionem *Cum alias*, die 24 Martii 1561. V. De Varcenio Tom. II, pag 486-87.

niales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam (1).

VII. Mulieres violantes Regularium Vironum Clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes (2).

(1) Scilicet « *nisi ex causa magni Incendii vel Infirmitatis Leprae aut Epidemiae, quae tamen Infirmitas praeter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, ctiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiamsi praedicta Monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a Monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere; aliter autem quam ut praefertur egredientes, Excommunicationis Maioris Latae Sententiae vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione subiacere, a quo praeterquam a Romano Pontifice, nisi in Mortis Articulo, absvolvi, nequeant.* » Sic statutum est a S. Pio V in supradicta Constitutione, *Decori*, edita die 24 Ianuarii 1570. V. Avanzini in citato Comment. pag. 28-29 30. Tamen sub hoc articulo non comprehenditur illa Clausura, cui identidem alligantur illae Mulieres in Communitate viventes, quae Vota Simplicia tantum emittunt: Quae Clausura imponitur sive ab Episcopo, sive vi suarum Constitutionum, sive etiam vi Voti specialis. Sed solum ea intelligitur Clausura, quae vi generalium legum Ecclesiae praescripta est Monialibus Vota Solemnia emitentibus. *Ita S. Cong. Episc. et Regul. die 1 Augusti 1839.*

(2) Sub hoc articulo comprenditur tantum Clausura Virorum Regularium, idest illorum quorum Coenobiis praescripta est Clausura Papalis, seu a Papa statuta. Non vero comprehenditur Clausura Congregationum Piarum, in quibus emittuntur solum Vota Simplicia. *Ita S. Cong. Episc. et Regul. die 2 Decembris 1616.*

## VIII. Reos Simoniae (1) Realis in Be-

(1) Simonia, a *Simone Mago* sic dicta, est studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid *Spirituale*, aut *Spirituali* adnexum. Dicitur voluntas studiosa, idest deliberata. Pretium temporale triplicis generis in iure canonico distinguitur: 1<sup>o</sup> *Munus a manu*, seu retributio rei cuiusvis temporalis pretio aestimabilis; 2<sup>o</sup> *Munus a lingua*, seu patrocinium, quo nomine veniunt Laudes, Commendationes, Preces etc., ex pacto interpretandae in favorem conferentis rem spiritualem; 3<sup>o</sup> *Munus ab obsequio*, seu servitus quaelibet, aut Officia alteri praestita, v. gr. famulatus aut simile Officium quodlibet. Triplex est pariter temporale spirituali adnexum: 1<sup>o</sup> *Antecedenter*, cui accedit spirituale, ut ius Patronatus fundo inhaerens; 2<sup>o</sup> *Consequenter*, quod ex spirituali pendet, ut ius decimas percipiendi; 3<sup>o</sup> *Concomitanter*, ut labor in Functionibus Sacris. Huiusmodi autem labor adnexus est rei spirituali vel intrinsece vel extrinsece. Dicitur adnexus *intrinsece* si a re ipsa non sit facile separabilis; secus adnexus *extrinsece* dicitur. Sic celebratio Missae est labor intrinsece rei spirituali adnexus; defatigatio autem extraordinaria, ut cantus, dilatio ad Meridiem, iter longum vel arduum suscipiendum ad celebrandum, et alia similia, ad laborem extrinsece adnexus pertinent. Simonia dicitur etiam 1<sup>o</sup> *Mentalis*, si fiat mere interne vel absque pacto; 2<sup>o</sup> *Conventionalis*, si pactum quidem intercedat, sed nullo modo executioni mandatum; 3<sup>o</sup> *Realis*, si pactum ex utraque parte adimplatur; 4<sup>o</sup> *Confidentialis*, quae fit quolibet pacto, seu confidentia circa electionem vel praesentationem ad Beneficia, ad Munera Ecclesiastica, etc.: Quae tandem tripliciter potest fieri, nempe per accessum, per regressum et per ingressum. Dicitur per *Accessum* cum renuntias Beneficium alteri eum pacto ut ille deinde resignet et alteri conferatur; per *regressum*, cum reservas tibi ius reassumendi iterum Beneficium in aliquo casu; per *ingressum*, si resignas Beneficium tibi collatum, sed nondum possessum, cum pacto capienda possessionem illius in aliquo casu aut tempore. V. S. Alph. L. III, n. 49.

*Nota.* 1<sup>o</sup> Non committit tamen Simoniam, qui Reliquias cum Reliquis permutat; quia sic non datur *spirituale* pro *temporali*. Idem dicendum est de cae-

neficiis quibuscumque (1), eorum Compli-  
ces (2).

teris rebus Sacris, si excipias Beneficia, quorum per-  
mutatio ne propria auctoritate fiat, ab Ecclesia pro-  
hibitum est.

2º Non committit ne Simoniam quidem, qui vendit  
Ceram Benedictam, Rosaria vel Numismata, quibus  
adnexae sunt Indulgentiae, vel Sacras Reliquias ca-  
psulis pretiosis inclusas, vel alia similia, quia haec  
non venduntur ratione rei Saerae, sed ratione pretii  
rei temporali adnexi; secus tamen, si propter rem  
ipsam sacram maiori pretio haec venderentur. Excipi-  
piuntur tantum Rosaria, Cruces et S. Numismata, quae  
pluribus Decretis S. Congregationis Indulgenciarum  
interdictum est, ne post eorum benedictionem vendi-  
tioni exponantur.

(1) Scilicet in *Beneficiis Ecclesiasticis stricte sumptis*,  
adeoque hanc Censuram non contrahunt, licet graviter  
peccent, qui emunt, vendunt Capellanias laicales, Vi-  
carias non perpetuas, Pensiones Coadiutorias et simi-  
lia. V. S. Alph. Lib. III, n. 112. Veniunt tamen hic  
nomine *Beneficii* etiam Regularium Praelatura, quae  
non consistunt in nuda commissione ad nutum revo-  
cabili, ut officium Legati, Vicarius Episcopi etc.,  
sed in munere ordinario, ut Prioratus, Rectoratus,  
Provincialatus, Guardianatus et Generalatus etc.

(2) Simoniae quae dicitur *Realis*, ideo Realis dicitur,  
ut distinguatur ab ea quae appellatur *Mentalis*, et ab  
altera quae appellatur *Conventionalis*. Crimen Simoniae  
*Realis* tunc committitur, quando conventio vel pactum  
de danda re spirituali pro temporali, aut vicissim  
de danda re temporali pro spirituali, executioni man-  
detur ex utraque parte, saltem haec executio ex ultra-  
que parte sit incepta. Si hoc Simoniae genus locum  
habeat in Ecclesiasticis Beneficiis, sive haec sint  
Saecularia sive Regularia, sive altioris ordinis, ut  
Episcopatus, Dignitates; sive inferioris ordinis, ut  
Beneficia Simplicia, sive iuris Patronatus, sive liberae  
collationis, talis Simoniae tum Rei tum Complices  
sub hoc articulo comprehenduntur. Verum hodie non  
contrahit hanc Censuram, ut olim, qui emit vel vendit  
officium, v. gr. Rectoris, Oeconomi, Vice-Parochi etc.  
Hoc Simoniae genus in quo procacius peccatur ab an-  
tiquis temporibus multas alias gravissimasque cano-

IX. Reos Simoniae Confidentialis in Beneficiis quibuslibet (1), cuiuscumque sint dignitatis (2).

nicas Poenas secum fert, de qua re confer Ferraris in aurea *Bibliotheca Canonica*, sub verbo *Simonia*: ex quibus plures vi Constitutionis *Apostolicae Sedis* sunt hodie abrogatae. Vigent tamen adhuc contra huiusmodi Reos, praeter supradictam Excommunicationem, sequentes Poenae: 1º Nullitas electionis aut praesentationis ad Beneficium vel ad quamcumque Dignitatem; 2º Inabilitas perpetua, aut ex quorumdam opinione, Inabilitas ad idem Beneficium saltem ea vice obtainendum; 3º Inabilitas ad alia Beneficia post Iudicis Sententiam saltem declaratoriam.

(1) *Simonia Confidentialis* est alterum, quod subsequutum est, *Simoniae* genus, quod locum habet in Beneficiis Ecclesiasticis ex confidentia, qua inducitur certa quaedam obligatio disponendi de Beneficiis. Committitur haec *Simonia*, quando aliquis dat vel confert Beneficium Ecclesiasticum, vel ad illud praesentat et elit, seu electum vel praesentatum instituit et confirmat cum certa confidentia et obligatione, idest cum expresso vel tacito pacto vel conditione, ut tamquam ex debito illud sibimet vel alteri, ut fratri, nepoti, amico, certo tempore iterum cedat seu resignet. De hoc *Simoniae* genere legenda est *Constitutio S. Pii V*, quae incipit *Intolerabilis*. Poenae vero quibus multantur Rei praefatae *Simoniae Confidentialis* completæ, idest quando Beneficium datum et acceptum est in confidentiam, etiamsi pactum ab altera parte nondum impletum fuerit, sed tantum ex utraque parte inchoatum, praeter huiusmodi Excommunicationem, sunt sequentes: 1º Nullitas resignationis aut collationis factae in confidentiam; 2º Inabilitas ad idem Beneficium, et ad alia obtainenda; 3º Privatio Beneficiorum et Pensionum, quae legitimè antea obtenta fuerint, post Iudicis tamen sententiam; 4º Reservatio eiusdem Beneficii ad Sedem Apostolicam.

(2) Quibus verbis et Praelati Maiores, nempe Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, non exclusis Cardinalibus, comprehenduntur.

X. Reos Simoniae Realis ob ingressum in Religionem (1).

XI. Omnes qui quaestum facientes ex Indulgentiis aliquaque gratiis spiritualibus Excommunicationis Censura plectuntur Const. S. Pii V *Quam plenum*, 2 Ianuarii 1554.

XII. Colligentes Eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes (2), faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII. Omnes qui Excommunicatione multantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet Nos* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX *Quae ab hac Sede pridie nonas No-*

(1) Haec Censura hodie locum habet tantum, si ex debito recipiatur aliquod emolumentum ex solo titulo Professionis Religiosae, non vero si emolumentum exigatur pro vestibus et sustentatione saltem per totum tempus Novitiatus, etsi Coenobium sit dives. Neque incurritur, nisi post initiam Professionem. Ita Reinfeustel 255, et alii communiter. De hac tamen Simoniae Reali ob ingressum in Religionem (intellige stricte dictam, sive cum Votis Solemnibus) confer etiam probatos Auctores Theologiae Moralis, praesertim S. Alph. L. III n. 92, et Frassinetti edit. 8<sup>a</sup> Genuae impressa anno 1890, pag. 820, n. 158.

(2) Ideo non esset censuratus qui nihil sibi retinet, sed partem stipendi Missarum in pios usus distribuit, v. gr. pro Ecclesiae aedificatione; etsi illicite agat. V. Delvecchio Tom. I, pag. 447. Illicite tamen non agunt ii, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendi loco libros vel alias merces seclusa quavis negotiatione vel turpis lueri specie. S. Rit. Congregatio Decr. 9 Septembris 1874. Moderatores quoque vel Administratores Diariorum Religiosorum tuta Conscientia dare possunt suum Diarium Sacerdotibus, ea conditione, ut celebrent numerum Missarum respondentium pretio, quod ab illis pro Diario solvitur. S. Poenit. Apost. Decr. 6 Octobris 1862.

vembris 1591, Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam* 26 Iunii 1592, et Alexandri VII *Inter ceteras* nono Kalendas Novembbris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

XIV. Religiosos (1) praesumentes Clericis aut Laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Paroci licentia (2).

(1) Intellige *stricte dictos*, sive solemniter professos: nam in odiosis Instituta Votorum Simplicium, uti sunt Piae Congregationes, neque Regularia, neque Religiosa appellantur. Quoad illicitatem non est quaestio.

(2) Materia huius Excommunicationis est usurpata iurisdictio in ministrando Clericis et Laicis Sacraenta Extremae Unctionis et Eucharistiae per Viaticum. Quamobrem non contrahit hanc Censuram Religiosus qui administrat sine licentia Parochi Infirmo Clerico Saeculari, vel Laico Eucharistiam non per Viaticum, sed ex devotione: Item si administret post receptum a Parocho Viaticum; quia haec Constitutio dicit: *Per Viaticum ministrare*. Cessat pariter Excommunicatio si Religiosus ministret Extremam Unctionem et Viaticum aliis Religiosis, et iis qui Religiosorum iure censentur (Ex Trid. Sess. XXIV, Cap. 11, *De Reformatione*), idest Novitiis et Famulis, qui actu eis inserviunt, et in Septis sub eorum obedientia vivunt. His addendi sunt Pauperes in Hospitalibus ipsorum degentes (Clementina 1<sup>a</sup> *De Privilegiis*) et Viri Tertiarii qui collegialiter vivunt, vel cum Claustralibus habitant. *S. Cong. Episcop. et Regul.* 20 Decembris 1616. Item si administret Religiosis alterius Ordinis etiamsi extra Monasteria; quia in materia poenali non est facienda extensio ultra propriam verborum significacionem. Ita Cajetanus V. *Excomm.* C. 64. Verum hac Censura innodatur Religiosus qui administrat sine dicta licentia Extremam Unctionem et Viaticum Clericis aut Laicis forte (*a caso*) in suo Monasterio degentibus studiorum, educationum, aut valetudinis causa. *Ita S. Cong. Episcop. et Regul.* 21 Iunii 1848. Sufficit tamen

XV. Extrahentes absque legitima venia Reliquias (1) ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

XVI. Communicantes cum Excommunicato nominatim a Papa in crimen criminoso, eis scilicet impendendo auxilium vel favorem (2).

XVII. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum Personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes (3).

*licentia mere praesumpta*, idest si Parochus eam certe daturus fuisset. Et sufficit etiam *licentia Episcopi*, quia Dioecesis est Paroecia Episcopi (Glossa, Sanch., Henriq., Bonac.).

(1) Si nempe constet esse Martyrum. Signa autem certissima quibus dignoscuntur Martyres a caeteris Fidelibus sunt Phialae vitreae; vel Figulinae crux tinctae, aut crustae saltem sanguineae occludentes, quae vel intra, vel extra loculos Sepultorum effixae sunt. *Ita S. Cong. Indulgent. 16 Februarii 1852 et Pius PP. IX 15 Martii eodem anno approbavit. V. Acta S. Sedis Vol. II, pag. 171.*

(2) Communicat in *crimen criminoso* qui communicat in ipso crimen cum Excommunicato nominatim, vel denuntiato nominatim a Papa, post sibi notam Excommunicationem latam. Sic si quis Excommunicato nominatim a Pontefice propter Haeresim, ut tali cognito favorem vel auxilium praeberet ad ipsam Haeresim diffundendam vel non retractandam; vel si quis post Excommunicationem nominatim seu specialiter et expresse latam in aliquem ob furtum, concubinatum etc. impendat ei auxilium, aut favorem, ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab Excommunicatione dicitur communicare in *crimen criminoso*. S. Alphonsus Lib. VII, n. 136-137 et 197. V. Delvecchio Tom. I, pag. 449, n. 614.

(3) Dicitur *scienter et sponte*, idest cum plenissima scientia ac plenissima libertate; unde fit, ut ab hac Censura excuset quaevis ignorantia aut metus gravis

XVIII. Absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu ab Excommunicationibus Romano Pontifici *speciali modo* reservatis innodatos (1), dummodo non agatur de Mortis Articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint (2).

XIX. Confirmantur Censurae latae quoad electionem Romani Pontificis, quae in desuetudinem non abierunt (3).

incussus. *In divinis*, esset cum tali Excommunicato solemniter recitare Horas, cum ritu Ecclesiae Funeralia agere, eius Missae assistere, Sacraenta ministrire, etc. *Officia* hic dicuntur quae Clerici obeunt ut Ecclesiae Ministri; in his autem recipere est, si recte iudico (ait cl. D'Annibale), illum admittere ad illa obeunda. S. Alph. Lib. VII, n. 177. Volunt *Regulares* non venire sub nomine Clericorum, quia res est de materia poenali in qua benignior interpretatio fieri solet. Incurrunt vero Interdictum ab Ingressu Ecclesiae. S. Alph. Lib. VII, n. 46-48. Delvecchio T. I, pag. 450, n. 615.

(1) Scilicet ipsi Absolventes praeter nullitatem Absolutionis, incident in Excommunicationem ipso facto Papae *simpliciter* reservatam. (V. Delvecchio Tom. I, n. 559 versus finem). In hoc tamen casu non comprehenduntur ii, qui legitime ab adeunda Sede Apostolica impeditos secundum Canones etiam a *specialiter* Summo Pontifici reservatis absolvant. (Gury Tom. II, pag. 1002 nota a). Qui vero a Casibus sive Episcopo sive Papae *simpliciter* reservatis absolverint nullam incurront Poenam, huiusmodi tamen absolutio est invalida.

(2) Quod quidem certum est si agatur de Censuris *specialiter* Romano Pontifici reservatis. (V. Delvecchio Tom. I, n. 513-I versus finem, et pag. 784). Secus est dicendum quando agitur de Censuris *simpliciter* reservatis, scilicet non tenentur amplius se sistere Superiori.

(3) Quoad electionem Pontificis, quae unice et ex-

XX. Confirmantur Censurae si adhuc in vigore, quae latae sunt pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint (1). (Usque adhuc ex Const. Apostolicae Sedis).

clusive pertinet ad Cardinales, plures sunt editae Constitutiones. (V. *Acta S. Sedis*, Vol. V, pag. 281-285).

(1) Verbi gratia: 1º Excommunicatione itaque latae Sententiae plectuntur Regulares, qui temere habitum Religionis suae dimittant. (Ex Cap. *Ut periculosa*, Tit. 2 *Ne Clerici vel Monachi* in VI).

2º Item Monachi aut Regulares Canonici, si ut suis Praelatis aut Monasteriis damnum aliquod inferant, ad Curias Principum se conferre praesumpserint. (Ex Clem. I, *De Stat. Monach.* § 5).

3º Item Monachi intra septa Monasteriorum, sine licentia Abbatum, arma tenentes. (Ex Clem. I, loco citato).

4º Excommunicationem autem Summo Pontifici reservatam incurront Regularium Superiores, qui quosvis Religiosos, etiam non Subditos, quos Haeresis labet infectos vel etiam suspectos esse noverint, non denuntiant. (Paulus V Constit. *Romanus Pontifex*, et Alexander VII, Constit. *Licet alias*).

5º Item si in causis ad S. Officium spectantibus iidem Superiores se audeant utcumque intromittere. (Ex praemissis Constit.).

6º Item si Superiores iidem Subditos suos ad S. Officium recurrere volentes quovis modo avertant, retrahant, dissuadeant. (Ex iisdem Constit.).

7º Eandem Excommunicationem reservatam incurront Religiosi subditi, si non denuntiant Confratres vel etiam Superiores eiusdem Ordinis, quos noverint esse de Fide quomodolibet, etiam leviter, suspectos. (Ex cit. Constit.).

8. Denique eandem omnes isti incurront, si sub correptionis fraternae aut alio praetextu a denunciando retrahant aut retardant petentes a se consilium. (Ex

XXI. *Adhaerentes sive fautores, defensores etc.* (ut inferius in nota), ad ea Delicta quae memorantur in tertia parte Censurae XII Romano Pontifici *speciali modo* reservatae: Quae tertia pars extenditur a verbo *Nec non* usque ad verbum *praebentes*; sunt tamen qui opinantur ab his etiam *Adhaerentibus* incurri Excommunicationem Papae *specialiter* reservatam. Ex Encyclica Pii IX, 1 Novembbris 1870. V. *Acta S. Sedis* Vol. VI, pag. 144 (1).

cit. Constit.). V. Gury Tom. II, pag. 1009 n. 979). E contra communiter censemur non amplius incurrere: 1. Excommunicationem Clementis VIII Regulares, qui sine debita facultate absolvere praesumunt a Casibus Episcopi. 2. Nec Regulares, qui Ecclesiarum decimas usurpant (Clementina 1<sup>a</sup> *De decimis*). 3. Vel qui aliis suadent ut Sepulturam in Regularium Ecclesiis sibi eligant (Clement. 3<sup>a</sup> *De Poen.*). 4. Item censemur abrogata Suspensio in Regulares Episcopos, qui quoad possunt non servant Regulas proprii Instituti (Benedictus XIII, etc.). Nam hae Censurae non videntur stricte pertinere ad internum regimen. V. Delvecchio Tom. I, pag. 451, n. 618.

(1) En verba huiusmodi Encyclicae: « Declaramus, » eos omnes, qualibet dignitate etiam specialissima » mentione digna, fulgentes, qui quarumcumque Pro- » vinciarum Nostrae Ditionis atque Almae huius Urbis » invasionem, usurpationem, occupationem vel eorum » aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum *Mandantes*, » *Fautores*, *Adiutores*, *Consiliarios*, *ADHAERENTES* vel » alios quoscumque praedictarum rerum executionem » quolibet praetextu et quovis modo procurantes vel » per seipsos exequentes, maiorem Excommunicatio- » nem aliasque Censuras et Poenas Ecclesiasticas a » Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus et » Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (Sess. » 22, Cap. 11, *De Reformatione*) Decretis inflictas incur- » risse iuxta formam et tenorem expressum in supe- » rius commemoratis Apostolicis Litteris nostris, die » 26 Martii anni 1860 datis. » V. *Acta S. Sedis* Vol. IV, pag. 166, in qua prostant huiusmodi Litterae.

§ III.

**Excommunicationes Latae Sententiae  
Episcopis sive Ordinariis reservatae** (1).

Excommunicationi Latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus (2) :

I. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post Votum Solemne Castitatis Matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis Personis Matrimonium contrahere praesumentes.

II. Procurantes abortum, effectu sequuto.

III. Litteris Apostolicis falsis scienter utentes (3) vel crimini ea in re cooperantes.

(1) Confessarii Urbis Romae non indigent speciali facultate Episcopi Cardinalis Vicarii pro valida absolutione a Censuris, quae in Bulla *Apostolicae Sedis* Episcopis reservantur; quum semper hac facultate usi fuerint, quin eam peterent. (Decreto S. C. Inquisit. 1 Decembris 1875, probante Pio IX).

(2) Casus Episcopis reservati dicuntur etiam Episcopales et possunt esse triplicis generis, nempe *Nobis, a Nobis, et Sibi*. Casus *Nobis* sunt illi, qui a iure generali sunt reservati Episcopis, huiusmodi sunt tres quae sub hoc § III comprehenduntur: Casus *a Nobis* sunt illi, quos Episcopi solent in Synodis Dioecesanis sibi reservare: Casus *Sibi* dicuntur illi, quos Episcopi aliis non concedunt, nisi speciali facultate.

(3) Qui huiusmodi Litteras falsificaverit, eisque postea usus fuerit, incurrit Excommunicationem latam in *Falsarios* (ut in Cens. IX, § I) Romano Pontifici speciali modo reservatam, et simul hanc Excommunicationem.

§ IV.

**Excommunicationes Latae Sententiae  
nemini reservatae.**

Excommunicationi Latae Sententiae nemini reservatae subiacere declaramus :

I. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae Sepulturae Haereticos notorios, aut nominatim Excommunicatos vel Interdictos.

II. Laedentes aut perterrefacientes Inquisidores, denuntiantes, testes, aliasve Ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III. Alienantes et recipere praesumentes Bona Ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis, *Ambitiosae*; *De Reb. Eccl. non alienandis*.

IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra Mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus nostris Gregorio XV Const. Universi, 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV Const. *Sacramentum Poenitentiae*, 1 Iunii 1741 (1).

V. Illos qui libros de Rebus Sacris tra-

(1) Si Poenitentes (sive mas sive foemina) promittat se quamprimum denunciaturum, possit a Confessario absolvi.

ctantes sine Ordinarii approbatione imprimitur, aut imprimi faciunt (1).

VI. Quoslibet Missionarios in Indiis Orientalibus et America tam Septentrionali quam Australi mercatura vacantes sive per se sive per alios, sive proprio sive communis nomine, sive directe sive indirecte (2), nisi lucris ex mercatura perceptis, Missionum Superiori, ut ab eo in commodum pauperum, Hospitalium, Seminariorum erogentur (3), prius restitutis, eorumque Superiores immediatos qui in hac delinquentes non punirent. Ex declaratione S. Cong. Inquis. Feria IV, 4 Decembris 1872, et a Summo Pontifice Pio IX approbata. Quod si conditioni resti-

(1) Sacra Officii Congregatio 22 Decembris 1880 declaravit: « Censuram nemini reservatam, inflictam iis qui libros de Rebus Sacris tractantes sine ordinaria approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt restringendam esse ad libros Sacrarum Scripturarum, nec non ad earumdem Adnotationes et Commentarios, minime vero extendendam ad libros quoscumque de Rebus Sacris in genere, id est ad Religionem pertinentibus, tractantes. » Ceterum quoad alios libros, etsi non adsit Censura, adest Ecclesiae praeceptum de iis non imprimendis sine Ordinarii licentia, quod quidem maxime urget Ecclesiasticos. V. Delvecchio Tom. I, pag. 458, n. 630.

(2) Haec Censura afficit illos Ecclesiasticos, qui titulo Fidei propagandae ex Europa in dicta loca transiunt, ibique proprie dictas negotiationes saeculares exercent. Qui insuper multantur poena privationis vocis activae, et passivae, si sint Religiosi. Censura lata est etiam in Superiores istorum immediatos qui delinquentes non puniunt.

(3) Non tamen in utilitatem Congregationum illorum qui in his deliquerint. Delvecchio Tom. I, pag. 451, n. 619.

tuendi luera satisfecerint, a quovis Confesario absolvvi poterint, sicut in Mortis Articulo (1). Insuper sub hac Censura non comprehenduntur Personae Ecclesiasticae locorum indigenae, nec illae Dioeceses quae ad normam Sacrorum Canonum reguntur per Clerum indigenam, Missionariis Europeis non amplius indigentes. V. *Acta S. Sedis* Vol. VII, pag. 323-324.

§ V.

Postea, sic prosequitur Constitutio Beatisimi Patris Pii IX:

« Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus: »

Sequuntur Excommunicationes, de quibus hic sermo est, sive Latae Sententiae a Tridentino Concilio, quatenus non iam comprehenduntur in praecedentibus.

I. Excommunicationi Romano Pontifici *simpliciter* reservatae subiacent:

1. Omnes sive Clerici sive Laici, cuiuscumque Dignitatis, qui Ecclesiastici Beneficii sive Saecularis sive Regularis, Montium

(1) Constat etiam ex Encyclicis a S. Cong. de Propaganda Fide datis 29 Martii 1873. V. Gury Tom. II, pag. 1007, edit. octava.

Pietatis, aliorumque Piorum Locorum Iurisdictiones, Bona, Census, ac Iura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministeriorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso seu etiam per suppositas Personas, seu quacumque arte aut quaesito colore in proprios usus convertere, et usurpare praesumpserint, seu impedire ne ab iis ad quos iure pertinent, percipientur; Excommunicacioni tamdiu subiacent, quamdiu Iurisdictiones, Bona, Res, Iura, Fructus et Redditus quos occupaverint, vel qui ad eos quomodocumque pervenerint, integre non restituerint: ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerint (1). Quod si Patronus fuerit, eo ipso iure Patronatus insuper privatus existat.

« Clericus vero, (addit Concilium Tridentinum) qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat; nec non quibuscumque Beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia Beneficia inhabilis efficiatur; et a suorum Ordinum executione, etiam post integrum satisfactionem et ab-

(1) Fures tamen non incurruunt in hanc Censuram, etiamsi sciant id quod furantur, pertinere ad Ecclesiastum vel Loca Pia. Ita S. Congreg. Concilii 27 Febr. 1596 apud Pignat. *Consult. Can.*, Tom. VII, Cons. XI; nec non S. Offic. Congr. 9 Martii 1870; quia usurpatores rem habent ut propriam, ac legitimam, non ita Fures.

» solutionem sui Ordinarii arbitrio suspen-  
» datur. » (Sess. XXII, Cap. 11, *De Reformatione*). Scilicet:

1º Bona Ecclesiastica, « etiam Locorum Piorum, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, » usurpantes vel usurpata ab aliis sibi retinentes, quodcumque fuerit medium per quod ea Bona usurpata sibi devenerint, « etiam per suppositas Personas Clericorum vel Laicorum » emptio ab usurpatore sub hac sanctione comprehenditur. S. Inquis. 8 Iulii 1874:

2º Impedientes, ne ea et Redditus ab eis, ad quos iure pertinent, percipientur:

3º Usurpantes iurisdictiones Ecclesiasticas Ecclesiarum vel Beneficiorum, etiam Piorum Locorum; puta usurpantes potestatem eademi Pia Loca gubernandi aut ordinandi, contra leges in fundationibus praescriptas, independenter a legitima Ecclesiastica Auctoritate:

4º Clerici, quamquam essent legitimi administratores, etiamsi Bona et Iurisdictiones sibi non usurparent, sed essent usurpationis fabricatores, vel etiam si tantum suo sensu usurpationem coadiuvarent.

5º Legitimi administratores Bona alienantes, ut ea sibi usurpent, puta ob tenuissimum pretium quo alienarent, ut aliunde sibi lucrum percipient. Sess. 22, Cap. 11, *De Reformatione*.

§ VI.

II. Excommunicationi nemini reservatae subiacent :

1º Magistratus saeculares, si ad instantiam Episcopi non praebant auxilium adversus contradictores Clausurae Monialium. (Sess. XXV, Cap. 5 *De Regul.*). « Haec tam Censura in praesenti Societatis statu, per non usum, iam videtur in desuetudine nem abiisse. » (Avanzini in Commen. super Bulla *Apostolicae Sedis*, pag. 121, n. 35). Et licet etiamnum vigeret, vix unquam incureretur, quum Ordinariorum prudentia communiter curabit ut conditio : « si ad instantiam Episcopi » non verificetur.

2º Raptore Mulierum eo fine ut Matrimonium cum iis ineant, eorumdemque Consocii. (Sess. XXIV, ex Cap. 6, *De Reform. Matrim.*). « Quod si Rapta a Raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta, illum in virum habere consenserit ; eam Raptor in Uxorem habeat, et nihilominus Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes etc. »

3º Temporales Domini et Magistratus libertatem Matrimonii contrahendi coactione gravi et iniusta violantes. (Sess. XXIV, ex Cap. 9-*De Ref. Matrim.* « Ita plerumque » etc.)

4º Cogentes, praeterquam in casibus in iure expressis, Mulierem ad ingrediendum

Monasterium, vel ad coactionem consilium, auxilium, vel favorem dantes, vel sine iusta causa impedientes (1). Sess. XXV, Cap. 18, *De Regul.*

(1) Haec Excommunicatio locum habet etiam quando agitur de Religione in qua emittuntur tantum Vota Simplicia, sed *Perpetua*, non vero *Temporaria*. Concilium enim voluit liberum ingressum in Monasterium vel susceptionem habitus *cuiuscumque Religionis*, sic legitur in Decreto. Ratio est quia finis Concilii non est alius, quam ut *libere* non autem *coacte* Mulier amplectetur Statum Religiosum. Cogentes vero Viros ad Religionem, non ligantur haec Censura; quia Tridentinum loquitur tantum de cogentibus Foeminas. (Ita Suarez et alii). Neque eam incurrit qui impedit aliquem Virum ne Religionem ingrediatur, vel Votum emittat; quia Concilium loquitur tantum de Mulieribus. Insuper ut incurritur haec Excommunicatio, Mulier debet cogi vel ad ingrediendum in Monasterium, vel ad suscipiendum habitum Religionis, idest ad ingressum ad modum *Novitii*, vel ad emitendam *Professionem*. Sufficit vero ad incurriendam Excommunicationem, ut Mulier ad unum ex dictis per vim vel per metum inducatur. Non incurritur tamen haec Censura statim ac illata est vis vel metus, sed requiritur actualis ingressus, vel habitus *Susceptio*, vel *Professio*. (Ita Navarrus, Sanchez, Rodriguez et Bonacina). Tunc autem subiiciuntur huic Censurae: 1º Cogentes etiamsi laborent ignorantia, *crassa, supina, vel affectata* (Sanchez in *Opere Morali*, Lib. 4, Cap. 4, n. 20); 2º Omnes praebentes auxilium, consilium vel favorem; 3º Omnes interponentes quoquo modo praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem suam, modo id fiat scienter ab eo qui novit Foeminam *non sponte* ingredi Monasterium, aut *habitum* suspicere, aut *Professionem* emittere. Denique exceptio huius Articuli ita se habet: *Praeterquam in Casibus in iure expressis*. Hi Casus sunt duo, nempe: 1º Quando Mulier formaliter consentit ut Vir Religionem ingrediatur et profiteatur, et ipsa quamvis Votum Continentiae fecerit, nihilominus rationabiliter potest haberi suspicio de eius Continentia, debet compelli Religionem intrare: 2º Quando *Mulieres, relicto maritali toro, lapsus carnis ceciderunt, si Mariti earum*

5º Praesumentes docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere, gravata Conscientia mortalis Peccati, habita copia Confessarii, necessariam non esse Confessionem ante susceptiōnem Eucharistiae, modo sit contritus. (Sess. XIII, Can. 11, *De Eucharistia*).

6º Item negantes clandestina Matrimonia vera ac rata esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, falsoque affirmantes Matrimonia a Filiis Familias sine consensu Parentum contracta, irrita esse. (Sess. XXIV, Cap. 1, *De Reform. Matrim.*).

7º Afferentes Indulgencias aut inutiles esse, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negantes. (Sess. XXV, Decret. *De Indulgentiis*).

### § VII.

#### Suspensiones Latae Sententiae Summo Pontifici simpliciter reservatae ex Const. Apostolicae Sedis (1).

I. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus

*a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitae conversas noluerint recipere propter Deum, in Claustris cum Religiosis Mulieribus studeas collocare, ut perpetuam Poenitentiam ibi agant. Ita Gregorius IX, Cap. 18 et 19, De Convers. Coniugatorum.*

(1) Suspensio est Censura Ecclesiastica, per quam Clericus privatur usu Officii, aut Beneficii, aut utriusque simul. Hinc potest esse totalis, si ab Officio et

Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione (1).

II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurruunt aliquem Ordinantes absque titulo Beneficii vel Patrimonii cum pacto, ut Ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurruunt Ordinantes alienum Subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi Litteris Dimissorialibus (2), vel

Beneficio; partialis, si ab alterutro. Potest etiam esse perpetua vel temporalis. Adverte quod Actus eliciti a suspenso si sunt Ordinis, semper sunt validi; excipe, si suspensus vitandus absolvat. Si vero sint iurisdictionis, distinguendum est; si sunt eliciti a suspenso vitando, nempe ab eo, qui per sententiam particularem talis est denunciatus, sunt nulli; si a tolerato sunt validi. Si autem suspensus violat suspensionem per exercitium Ordinis Maioris, peccat graviter, et incidit in Irregularitatem; excipe si toleratus sit petitus et se disponat: si per Exercitium iurisdictionis, peccat tantum; excipe si toleratus sit petitus.

(1) Per *Litteras Apostolicas* intelliguntur Bullae Pontificiae provisionis Episcopatus vel Praelatura, quae exhibendae prius sunt Capitulo, Monasterio vel cui de iure.

(2) Litterae, quibus proprium Subditum ordinandi delegatur licentia alieno Episcopo, ea tamen conditione, ut suo Episcopo adhuc remaneat Subditus, di-

etiam Subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci Litteris Testimonialibus (1).

IV. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi Privilegii, Ordinem Sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel Patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua Solemnis Professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo (2).

cuntur *Dimissoriales*, olim vocabant etiam *Reverendas*. Si vero quis obtineat, ut alterius Episcopi Subditus fiat. Litterae illae *Remissoriales* appellari solent. V. *Delvecchio*, Theol. Moral. Tom. I, pag. 466, n. 643.

(1) *Litterae Testimoniales* (seu *Commendatitiae*) sunt quae nudum continent testimonium, quod Clericus promovendus sit dignus cui tales Ordines conferantur. Sunt etiam aliae *Testimoniales Litterae*, quibus nempe Ecclesiasticus a Dioecesi recedens a proprio Episcopo aliis commendatur; et vulgo dicitur *Exeat* vel *Celebret*. Tandem sunt *Litterae Formatae*; quae de collatis Ordinibus testimonium continent. Congregationes, in quibus Vota Simplicia emittuntur, indigent Litteris Testimonialibus et Dimissoriis sicuti Clerici Saeculares; ideo ad Tonsuram et Ordines promoveri nequeunt sine Dimissoriis, vel Testimonialibus eius Episcopi in cuius Dioecesi moram trahunt; ex S. Cong. Ep. et Reg. 6 Maii 1864. Aliud est de Regularibus; horum Ordinarius est Ordinarius loci, in quo est Coenobium; ideo non tenentur ostendere Dimissorias Ordinariorum propriae originis, ex S. Cong. Concilii 28 Februarii 1754; sed Superiorum suorum Regularium, quae dandae sunt ad Episcopum Dioecesanum. (*Benedictus XIV, Const. Impositi Nobis* de die 27 Februarii 1747). V. *Delvecchio*, ut supra.

(2) Haec Suspensio respicit etiam omnes Religiones in quibus emittuntur Vota Simplicia, etsi e sua primaeva institutione solum habuerint Vota Solemnia. Hinc post editas iussu Pii IX Litteras super statu

V. Suspensionem perpetuam ab exercitio  
Ordinum ipso iure incurront Religiosi electi,  
extra Religionem degentes (intelliguntur *Religiosi* stricte dicti) (1).

Regularium, cum postulatum fuisset: « *Possunt ne Novis vitii post emissâ Simplicia Vota ante emissionem Solemnium ad Sacros Ordines promoveri titulo Paupertatis, non obstante Constitutum ROMANUS PONTIFEX, anno 1568, S. Pii V?* » Respondit S. Congreg. Episc. et Regul. 20 Ianuarii 1860: « *Sanctissimus prescribendum mandavit: Negative quoad Ordines Sacros* » (sive Maiores). Hodie tamen aut directe aut saltem per Communicationem cum Regularibus stricte dictis gaudent fere omnes hoc Privilegio Congregationes etiam Votorum Simplicium.

(1) Notandum tamen est quod sub hoc Articulo: 1. Comprehenduntur tantum Religiosi solemniter professi, qui a legitimo Superiore efficiuntur e Religione, et extra Religionem degunt in saeculo; non vero Religiosi Votorum Simplicium, qui electi vel dimissi fuerunt a legitimo Superiore. Eiusmodi enim dimissione vel electione solvuntur ab omni vinculo erga Religionem, et dispensantur a Votis Obedientiae et Paupertatis et etiam Castitatis si sint Laici: 2. Quod nec *Apostatae* et *Fugitivi* Regulares sunt comprehensi; quia in iure satis distinguuntur *Apostatae* et *Fugitivi* ab *Electis*; et Articulus loquitur solum de *Electis*. Pro dictis *Fugitivis* et *Apostatis* sunt aliae Poenae, nempe quod possint ac debeant « ab Episcopo loci ubi monasterium trahunt, in Carcerem coniisci, Superioribus Regularibus consignari, secundum Regularia Instituta puniendi; atque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa Decreto Concilii Trident. Cap. 3, Sess. VI. » Praeterea *Apostatae* a Religione, vel *Fugitivi* nullo Privilegio sui Ordinis iuvantur; (*Conc. Trid. Sess. 25, Cap. 9, De Regul.*) atque subiectiuntur aliis Poenis iuxta peculiares singulorum Ordinum Constitutiones statutis, in quibus communis fere dieitur esse *Suspensio* et *Excommunicatio* ipso facto inflcta. V. *Elench. Privilegiorum Tit. Apostatae, Desertores vel Fugitivi*, pag. 105-106.

VI. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab Excommunicato vel Suspendo, vel Interdicto nominatim denunciatis, aut ab Haeretico vel Schismatico notorio: Eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensemur, declaramus.

VII. Clerici Saeculares exteri ultra quatuor Menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus Suburbicariis, si ordinentur extra suam Dioecesim, Dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum Exercitiis Spiritualibus per decem Dies in Domo Urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, Suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per Annum (1).

(1) Regulares sub hoc Articulo nullo modo comprehenduntur sive Romae commorentur, sive in aliquo loco ex sex Dioecesibus Suburbicariis; quia Articulus de Clericis Regularibus nullam mentionem facit. Quare possunt mitti a propriis Superioribus ad Ordinarium, quem malunt, modo habeant Litteram Testimonialem quod Episcopus illius Dioecesis Ordinationem non teneat.

§ VIII.

Suspensio de novo addenda *specialiter* Romano Pontifici reservata ex Const. *Romanus Pontifex* die 28 Augusti 1873, ut sequitur:

VIII. Si aliqui ex praedictis, id est qui regimen Ecclesiae suscipiunt nondum praesentatis Bullis provisionis cui de iure Episcopali charactere iam sunt insigniti, in poenam Suspensionis ab exercitio Pontificalium, et Interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione, incident S. Sedi pariter *speciali modo* reservatam.

§ IX.

**Interdicta Latae Sententiae ex Constit. Apostolicae Sedis Summo Pontifici specialiter reservata (1).**

I. Interdictum Romano Pontifici *speciali modo* reservatum ipso iure incurunt Universitates, Collegia et Capitula, quo cumque

(1) Interdictum est Censura Ecclesiastica, qua prohibentur omnia Divina Officia, usus quorundam Sacramentorum; et Ecclesiastica Sepultura. Potest esse *Personale*, *Locale* et *Mixtum*, prout afficit personam, locum vel utrumque. Potest etiam esse *Generale* et *Speciale*; primum, quando afficit generalitatem locorum, puta totam Civitatem; secundum, quando afficit unum locum, puta unam Ecclesiam. En discriminem inter Excommunicationem, Suspensionem, et Interdictum: prima infligi potest contra Laicos et Clericos; secunda contra Clericos tantum, et privat usu Officii, vel Beneficii, vel utrinque; tertia contra Personas et contra loca,

nomine nuncupentur, ab Ordinationibus seu Mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

II. Scienter celebrantes vel celebrari facientes Divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis, aut nominatim Excommunicatos ad Divina Officia, seu Ecclesiastica Sacra menta, vel Ecclesiasticam Sepulturam admittentes, Interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incur runt (1), donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satis fecerint.

III. Ex Constit. *Romanus Pontifex* anno 1873, praeter Suspensionem, latum est Interdictum ab ingressu Ecclesiae *speciali modo* Papae reservatum in Episcopos, qui Sedis Episcopalis regimen suscipere audent, non dum praesentatis Bullis cui de iure (2).

### § X.

« Denique, prosequitur Constitutio Aposto licae Sedis, quoscumque alios Sacrosanctum

(1) *Interdictum ab ingressu Ecclesiae* est Censura Ecclesiastica, qua quis privatur exercitio Ordinis Sacri in Ecclesia, et assistentia Divinis Officiis, et Sepultura Ecclesiastica. Hinc licite potest aliter Interdictus celebrare in Oratorio privato. Violantes tale Interdictum per Exercitium Ordinis Sacri, incident in Irregularitatem.

(2) V. *Excommunicationes Latae Sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae*, §§ I, n. XIII, sub 3; nec non *Suspensiones Latae Sententiae* § VIII, n. VIII,

» Concilium Tridentinum Suspensos aut Interdictos ipso iure esse decrevit, Nos parimodo Suspensioni vel Interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus. »

Sequuntur ergo *Suspensiones* et *Interdicta* de quibus hic sermo est, quatenus non comprehenduntur in praecedentibus; quarum aliae reservantur, aliae non.

1. *Suspensiones* Latae Sententiae a Tridentino irrogatae sunt sequentes:

I. Ob Ordines illegitime collatos:

1º Alienum Subditum sine Testimonia libus sui Ordinarii Ordinans « a collatione Ordinum per annum, et Ordinatus a successorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. » (Sess. XXIII, ex Cap. 8, *De Reformatione: Unusquisque autem etc.*).

2º « Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare » in Suspensione ab exercitio Ordinis sic suscepti quam incurront. (Sess. XXIII, Cap. 14, *De Reform.*). Si ministraverint, facti sunt Irregulares et indigent dispensatione Apostolica.

3º Episcopus Pontificalia in aliena Dioecesi sine expressa Ordinarii licentia vel in Personas eidem Ordinario tantum subiectas exercens, ab exercitio Pontificalium, et sic Ordinati ab executione Ordinum sunt suspensi. (Sess. VI, Cap. 5, *De Reformatione*). Haec tamen Suspensio non est reservata.

4º Episcopi *Titulares* aliquem ubivis sine expresso consensu aut Dimissoriis proprii Praelati ordinantes, ab exercitio Pontificalium per annum; taliter vero promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, est suspensus. (Sess. XIV, Cap. 2, *De Reform.*: *Nemo Episcoporum* etc.)

5º Abbates Regulares et alii quantumvis exempti qui Tonsuram aut Minores Ordines conferre audent alicui Saeculari. Item si Litteras Dimissorias Clericis Saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, ab Officio et Beneficio per annum sunt ipso iure suspensi. (Sess. XXIII, Cap. 10, *De Reformatione*).

6º Ordinati intra primum annum a vaccinatione Dioecesis, modo non fuerint arctati, si in Minoribus, nullo privilegio clericali praesertim in criminalibus gaudeant. Si in Maioribus, ab executione Ordinum ad beneficium futuri Praelati sunt ipso iure suspensi. (Sess. VII, Cap. 10, *De Reformatione*). Qui id concedit ab Officio et Beneficio est ipso facto per annum suspensus, praeter Interdictum si concessio sit facta a Capitulo. (Sess. XXIII, Cap. 10, *De Reform.*). Et Ordinans remanet per annum suspensus ab Ordinum administratione, quia ordinat alienum Subditum; et intra hoc tempus Suspensio est reservata Pontifici (1).

(1) Sedes vacare incipit a die scientiae mortis certae Episcopi, vel eius translationis, renuntiationis,

II. Qui, absque licentia *Parochi* sponsum proprii vel *Episcopi*, Matrimonio coniungere vel benedicere ausus fuerit, tamdiu suspensus est, quamdiu ab Ordinario illius *Parochi* absolvatur. (Sess. XXIV, ex Cap. 1, *De Reform.*: *Eadem Sancta Synodus* etc.).

III. *Episcopi*, quod absit, *Concubinarii*, si a *Synodo Provinciali* admoniti, se non emendaverint, sunt suspensi. (Sess. XXV, ex Cap. 14, *De Reform.*: *Episcopi quoque*, etc.). Sed haec Suspensio non est reservata.

IV. *Praefectae Monasteriorum*, quae de professione suarum Novitarum *Episcopum* ante Mensem certiorem non faciunt, incurront Suspensionem ab Officio quamdiu *Episcopo* videbitur.

Haec tamen non est Censura proprie dicta: cum Foeminae Suspensioni obnoxiae non sint; sed potius simplex prohibitio seu privatio. (Sess. XXV, ex Cap. 17, *Quod si Praefecta* etc., *De Regul. et Monialibus*).

2. *Interdicta Latae Sententiae* a Tridentino irrogata, sunt sequentia :

I. Interdicitur Capitulum (respective *Vicarius Capitularis*) intra annum a vacatione Sedis Episcopalis Litteras Dimissorias concedens non aretatis ad Beneficia, et sic ordinati, si in Minoribus constituti fuerint, nullo Privilegio Clericali gaudeant. « In Ma-

etc. Cessat vacare (et ideo luctus cessat) quando Litterae Apostolicae novi Praelati sint Capitulo presentatae.

» ioribus vero ab exsecutione Ordinum ad  
» beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure  
» suspensi. » (Sess. VII, Cap. 10, *De Reformatione*).

II. Metropolita si Suffraganeum, et antiquissimus ex Suffraganeis si Metropolitam ultra annum continuum illegitime absentem, infra tres menses Romano Pontifici non denunciaverit, ab ingressu Ecclesiae interdictum. (Sess. VI, ex Cap. 1, *De Reformatione: Crescenti vero etc.*). Hoc autem Interdictum non est reservatum.

### § XI.

Hactenus de Excommunicationibus, Suspensionibus vel Interdictis sive a Constit. Apostolicae Sedis et aliis Documentis directe, sive a Tridentina Synodo infictis: Sic autem explicit Constitutio Sanctissimi Patris PP. Pii IX, de qua agimus.

« Quae vero Censurae sive Excommunicationis, sive Suspensionis, sive Interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut Sacris Canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterint, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque Piorum cuiuscumque no-

» minis aut generis sint, eas omnes firmas esse,  
» et in suo robore permanere volumus et decla-  
» ramus.

» Ceterum decernimus, in novis quibus-  
» cumque Concessionibus ac Privilegiis, quae  
» ab Apostolica Sede concedi cuvis conti-  
» gerit, nullo modo ac ratione intelligi un-  
» quam debere, aut posse comprehendendi fa-  
» cultatem absolvendi a Casibus, et Censuris  
» quibuslibet Romano Pontifici reservatis,  
» nisi de iis formalis, explicita ac individua  
» mentio facta fuerit: *Quae vero Privilegia*  
» *aut Facultates, sive a Praedecessoribus No-*  
» *stris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Or-*  
» *dini, Congregationi, Societati, et Instituto,*  
» *etiam Regulari cuiusvis speciei, etsi titulo*  
» *peculiarri praedito, atque etiam speciali men-*  
» *tione digno a quovis unquam tempore hue*  
» *usque concessae fuerint, ea omnia, easque*  
» *omnes Nostra hac Constitutione revocatas,*  
» *suppressas, et abolitas esse volumus, prout*  
» *reapsec revocamus, supprimimus, et abole-*  
» *mus, minime refragantibus aut obstantibus*  
» *Privilegiis quibuscumque, etiam speciali-*  
» *bus, comprehensis, vel non, in corpore iuris,*  
» *aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis*  
» *confirmatione Apostolica, vel immemora-*  
» *bili etiam Consuetudine, aut alia qua-*  
» *cumque firmitate roboratis quibuslibet*  
» *etiam formis ac tenoribus, et cum qui-*  
» *busvis derogatoriis, aliisque efficacioribus*  
» *et insolitis clausulis, quibus omnibus,*

» quatenus opus sit, derogare intendimus et  
» derogamus.

» Firmam tamen esse volumus absolvendi  
» facultatem a Tridentina Synodo Episcopis  
» concessam Sess. XXIV, Cap. VI, *De Refor-  
matione* (1), in quibuscumque Censuris A-  
» postolicae Sedi hac Nostra Constitutione  
» reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem  
» Apostolicae Sedi *speciali modo* reservatas  
» declaravimus » (2).

(1) Huiusmodi autem facultas a Synodo Tridentina Episcopis concessa haec est: (Sess. XXIV, Cap. 6, *De Reformatione*) « Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, et Suspensionibus, ex delicto occulto pro- venientibus, excepta ea, quae oritur ex Homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque Casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delin- quentes quoescumque sibi Subditos, in Dioecesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter depu- tandem, in foro Conscientiae gratis absolvere, im- posita Poenitentia salutari. Item et in Haeresis cri- mine in eodem foro Conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis, sit permisum. » Igitur Episcopi ex hoc capite *Liceat* etiam post Bullam *Apostolicae Sedis* possunt absolvere ab omnibus Casibus Papae reservatis (*speciali modo exceptis*) quando sunt occulti, ex- cepta Haeresi. Possunt etiam absolvere ab iisdem, quamvis Delictum sit publicum, et etiam ab Haeresi, quando ex parte Poenitentis adsit impotentia physica, vel moralis eundi Romam, uti est in Pueris, Infirmis, Foeminis, Senibus etc.

(2) Hodie tamen Episcopi non amplius possunt ab- solvere a Censuris et Casibus Papalibus *publicis* et *notoriis* tam *simpliciter* quam *speciali modo* reservatis eos, qui ob legitimum impedimentum Apostolicam Sedem adire nequeunt; sed debent saltem infra mensem per epistolam recurrere ad Em.um Card. Maiorem Poenitentiarium. Ita decrevit S. Cong. S. R. U. Inqui- sitionis die 23 Iunii 1886. Possunt tamen absolvere non

N. II.

**Animadversiones Generales.**

**Quoad Censuras et Casus Summo Pon-tifici specialiter reservatos.**

Nunc autem quoad Censuras et Casus Papae *specialiter* reservatos animadvertere oportet:

1. Nullo pacto sufficere ad valide et licite ab his absolvendum generalem Concessionem alicui factam absolvendi a Censuris et Casibus Romano Pontifici *speciali modo* reservatis. Nam ex Constitutione Apostolicae Sedis revocata sunt quaecumque Indulta sub quavis forma et quibusvis Personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis ad hoc concessa.

2. Nullum ergo amplius absolvere posse a Censuris Summo Pontifici *speciali modo* reservatis, nisi excipere velis casum *Periculi Mortis*, et eum, quo quis Romanum Pontificem, aut Episcopum pro absolutionis beneficio adire nequeat; nec non facultates illas *Personales*, sive *Extraordinarias*, sive ad tem-

solum a Casibus sibi ipsis reservatis, sed etiam ab omnibus Casibus Papae *simpliciter* reservatis, quocumque tempore, quamdiu sunt occulti, nec ad forum contentiousum deducti.

pus concessas, vel respicientes Iubilaeum, quae iuxta Instructionem S. Officii diei 15 Iunii 1870 per hanc Constitutionem non fuerunt revocatae. (V. Avanzini in Comment. super eadem Constitutione pag. 21 in nota).

3. Quaecumque tamen sint hae Facultates, et quantumvis ampliae, declaravit S. Officii Congregatio die 17 Iunii 1866, excepti semper habendi sunt Casus de quibus in Bulla Benedicti XIV, quae incipit: *Sacramentum Poenitentiae*, absolutio nempe impertita a Confessario complice in Peccato turpi, extra Casus in dicta Bulla designatos, qui item incurrit in Excommunicationem *specialiter* reservatam; et calumniosa accusatio Sacerdotis sollicitantis ad turpia in actu Sacramentalis Confessionis. Primus Casus commemoratur in praedictis ob Censuram adiectam: secundus autem reservatus manet sine Censura. (Avanzini in Comment. super Constit. Apostolicae Sedis, pag. 18).

Insuper die 4 Aprilis 1871 Congregatio S. Officii declaravit, probante Pio IX, quod etiam obtenta generali et amplissima Concessione facultatum absolvendi ab omnibus Casibus *speciali modo* S. Sedi reservatis, semper excipitur Facultas absolvendi a Censura quam incurrit *absolvere Tentans Complicem in peccato turpi*; ideo haec Facultas debet esse nominatim expressa. « Quare, » concludit clarissimus Avanzini in dicto Commentario pag. 19 in nota, « dici potest, Excommunicatio-

« nem latam in Attentantem absolutionem  
« Complicis, esse hodie *specialissimo modo*  
« reservatam: » ac proinde generalem quam-  
libet facultatem, aut quodcumque speciale  
Privilegium, pro valida dicti Casus absolu-  
tione minime sufficere, sed specialem atque  
expressam Summi Pontificis facultatem modo  
absoluto requiri.

4. Tempore vero Iubilaei Poenitentes  
sive Saeculares sive Regulares possunt sibi  
eligere Confessarium quemcumque ab Ordinario loci, ubi fit Confessio, approbatum. Qua  
facultate uti possunt etiam Moniales, Novi-  
tiae, aliaeque Mulieres intra Claustra degen-  
tes, dummodo Confessarius approbatus sit  
pro Monialibus, et talibus Mulieribus.

5. Confessarii autem gaudent omnes facul-  
tate absolvendi Poenitentes una vice et in  
foco Conscientiae dumtaxat, ab omnibus pec-  
catis quantumcumque gravibus, item ab Ex-  
communicatione, Suspensione et aliis Eccle-  
siasticis Sententiis et Censuris a iure vel ab  
homine inflictis (1), Ordinariis vel ipsi Apo-

(1) *Censura a iure*, est quae per Canones seu statutum  
stabile generaliter fertur in omnes Subditos (saltem  
in certum Coetum Personarum, v. gr. in Ecclesiasticos).  
Altera dicitur *ab homine*; et est illa quae per sententiam  
Iudicis aut praeceptum speciale fertur in unam vel  
plures Personas determinatas ac speciales. Haec porro  
ferri potest etiam pro Peccatis praeteritis, non item  
illa; item haec (non vera Censura a iure) cessat morte  
vel renuntiatione Superioris a quo illata fuit. Et ideo  
dicitur etiam *transitoria*; cum enim non sustineatur,  
nisi ab homine, eo deficiente, et illa deficere debet,  
nisi iam incursa.

stolicae Sedi etiam *speciali modo* reservatis; etsi casus in concessione quantumcumque ampla non intelligerentur concessi; iniuncta poenitentia salutari, aliisque de iure iniungendis. Exceptis tamen casibus in Constitutione Benedictina, prohibitio scilicet: 1º Absolvendi qui absolvere ausus fuerit suum Complicem in peccato turpi; 2º Absolvendi proprium Complicem in peccato turpi; 3º Absolvendi falso Accusantem voce vel scripto, per se vel per alium apud Iudices Ecclesiasticos Confessarium de sollicitatione admissa in ipso Sacramento Poenitentiae. (V. Acta S. Sedis Vol. VIII, pag. 360). His casibus exceptis, non prohibetur ut Confessarius absolvat tum Confessarium tum Poenitentem qui inter se peccaverunt peccato luxuriae; nisi adsit Episcopalis reservatio, quae ut plurimum adest, sicut in Archidioecesi Taurinensi.

6. His adde: Confessarii pollent etiam *Facultate dispensandi cum Poenitentibus in Sacris Ordinibus constitutis etiam Regularibus*, super occulta Irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum et ad Superiorum assecutionem, ob Censurarum violationem dumtaxat contracta.

7. *Facultate commutandi* (non dispensandi) *omnia Vota simplicia etsi iurata in alia pia et salutaria Opera*. Sed excipe tum Vota quae cederent in praeiudicium tertii, tum Vota sive Castitatis, sive ingressus in Religionem;

tum Vota poenalia, quae praeservant a peccato (nisi commutatio non minus a peccato refraenet). Vota autem non possunt commutari, nisi in ipsa Confessione. Quando autem agitur de Iubilaeo, pro commutatione Votorum non requiritur specialis causa, sed sufficit illa generalis, ob quam Pontifex Iubilaeum concedit. (V. Delvecchio T. M. Vol. II, pag. 480 n. 665).

### N. III.

#### **Animadversiones quoad Censuras et Casus Papae simpliciter reservatos respicientes Regulares.**

Ad dubium « An Praelati Regulares post Constitutionem Apostolicae Sedis iisdem Privilegiis gaudeant quibus antea, idest an possint suos Sacerdotes, seu Subditos, absolvere a Casibus Papalibus in dicta Constitutione simpliciter reservatis » Sacra Poenitentiaria 5 Decembbris respondit: « Negative, salvis aliis Facultatibus quae promanant ex Rescriptis particularibus ad tempus concessis, » puta ex Folio S. Poenitentiariae.

At vero Praelati Regulares, eorumve Delegati, possunt, sicut antea, suos Subditos absolvere:

1. A Censuris particularibus quae regimen internum proprii Instituti respiciunt: Nihil enim in hoc innovatum est. (V. Censuram

XX. *Romano Pontifici simpliciter reservatam,*  
sub N. I, § II).

2. A Censuris Papalibus Episcopo sive Ordinario *iure reservatis*: Nam Religiosi exempti alios non habent Ordinarios quam suos Praelatos ob eamdem rationem absolvi possunt. (V. N. I, §§ III).

3. A quibuscumque Censuris Papae etiam *speciali modo reservatis*, quoties, ut ordinarie contingit, Subditus impeditur Sedem Apostolicam adire (1).

4. Ab Excommunicatione ob percussionem etiam gravem et enormem et publicam, inflictam non solum Religiosis eiusdem Ordinis, sed etiam alterius, et etiam Clericis Secularibus. Nam quod ad huius Censurae absolutionem attinet, ipsa Constit. Apostolicac Sedis salva voluit Privilegia antea concessa. (V. sub N. I, § II, Cens. II, Romano Pontifici *simpliciter reservatam*).

(1) Hic tamen advertendum est quod S. Cong. Romanae et Universalis Inquisitionis de hac re interpellata, die 20 Julii 1886, respondit. « In Casibus vere » urgentibus, in quibus absolutio differri nequeat, » absque periculo gravis scandali vel infamiae, super » quo Confessariorum conscientia oneratur, dari posse » absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a Censuris » etiam *speciali modo* Summo Pontifici reservatis sub » poena tamen reincidentiae in easdem Censuras, nisi » saltem infra mensem per epistolam et per medium » Confessarii Absolutus recurrat ad S. Sedem. »

## APPENDIX II

FACULTATES Confessariis nostris ab Ordinariis locorum adprobatis concessae ex Folio S. Poenitentiaiae a S. Sede.

Facultates typis editae ex Folio S. Poenitentiaiae dictae, quae, non obstante Constitutione Apostolicae Sedis, concedi solent Superioribus Congregationum cum potestate eas communicandi propriis Subditis, sed tantum ad praefinitum tempus, et iuxta modum et Conditiones, quae in eadem Concessione apponuntur manuscriptae; scilicet: Tibi Dilecto in Christo, Michæli Rua Rectori Maiori Congr. Salesiana, Confessario ab Ordinario loci ad excipendas utriusque sexus Fidelium Sacramentales Confessiones legitime adprobato, non obstante Constitutione Apostolicae Sedis infrascriptas *ad quinquennium* a data praesentium computandum concedimus Facultates, cum potestate eas communicandi, non tamen ultra praefinitum terminum, etiam aliis Confessariis eiusdem Congr. Tibi subiectis et benevisis, dummodo et ipsi ab Ordinario locorum fuerint, ut supra, adprobati, quibus in actu Sacramentalis Confessionis, et pro foro Conscientiae dumtaxat Apostolica Autoritate uti valeatis, et ita ut illas nemini

manifestetis, nisi necessitas aut utilitas id exegerit (1):

I. Absolvendi ab Excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata ob manus violentas injectas sive in Clericos, sive in Regulares, in casibus tamen non deductis, nec de facili ad forum Ordinarii deducendis; dummodo non sit sequuta aut mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus, ossium fractio, et iniuncta congrua Poenitentia salutari cum obligatione caute, et competenter satisfaciendi parti laesae.

II. Absolvendi a Censuris contra Duellantes statutis, dummodo casus ad forum Ordinarii non fuerint deducti; iniuncta gravi Poenitentia salutari, et aliis iniunctis, quae fuerint de iure iniungenda.

III. Absolvendi quoscumque Poenitentes (exceptis Haereticis publicis sive publice dogmatizantibus) (2) a quibusvis Censuris et

(1) Quoad huiusmodi conditionum explicationem V. Cap. I, § II, pag. 18-20 hujus Opusculi.

(2) Circa tamen huiusmodi exceptionem ipsa S. Poenitentiaria pro Conscientiarum tranquillitate sequentibus dubiis benigne occurrere dignabatur: I. An in praefata exceptione comprehendantur Haeretici publici qui non sint dogmatizantes? II. Item an comprehendantur dogmatizantes non quidem publice sed privatim, scilicet modo uno, modo altero audiente, modo aliis paucis, et sic deinceps ita tamen, ut, computatione facta, numerus dogmatizatorum deprehendatur valde excessivus? S. Poenitentiaria ad proposita dubia, die 3 Martii 1880, respondit ut sequitur: Ad I. *Negative*. Ad II. *Affirmative*, si notorium sit, Haereticum praedicta ratione falsa dogmata spargere,

Poenis Ecclesiasticis ob Haereses (1) tam  
nemine audiente, vel advertente, quam co-  
ram aliis externatas, ob infidelitatem, et Ca-  
tholicae Fidei abiurationem private admis-  
sas, Sortilegia (2), ac Maleficia (3) haereti-

(1) Haeresis est error intellectus contra Fidem cum pertinacia voluntatis in eo, qui Fidem recepit; et quotuplex est: I. Materialis vel Formalis. Dicitur *Materialis*, quando quis ob ignorantiam credit aliquid, vel aliquid ob inadvertiam profert contra Fidem: *Formalis*, quando error est voluntarius et pertinax. Hinc ad constituendam Haeresim Formalem tria re-quiruntur: 1º Ut error in intellectu sit contra aliquam Fidei veritatem: 2º. Ut adsit pertinacia in voluntate; et haec pertinacia non habetur solum quando quis mordieus tuetur suum errorem, sed etiam quando quis se sit, et advertit aliquid Fide certum teneri ab Ecclesia, et ipse oppositum deliberate tenet, vel de eo deliberate dubitat: Dubius enim in Fide, Infidelis est; hinc error contra Fidem ortus ex ignorantia etiam culpabili non est Haeresis, quia non adest pertinacia; 3º Ut Persona errans in Fide sit Fidelis. II. Haeresis Formalis potest esse Interna vel Externa: *Interna*, si mente tantum retinetur; *Externa*, si exterius manife-  
statur. III. Haec denique posterior potest etiam esse Occulta vel Manifesta: est *Occulta*, si externatur, ne-  
mine audiente; *Manifesta*, si coram aliis audientibus. Haeretici vero formales externi, sive sint occulti, sive manifesti incidunt: 1º In Excommunicationem Papae reservatam; 2º In Inabilitatem ad Beneficia et Officia Ecclesiastica; 3º In Privationem Beneficiorum prius rite obtentorum; 4º In Privationem Sepulturae Ecclesiasticae; 5º In Infamiam; 6º In Irregularitatem; 7º In Poenam Denunciationis. Denunciatio autem facienda est Inquisitoribus, vel Ordinario loci, et fieri debet, etiamsi Delictum probari non possit, ut patet ex op-  
posita damnata propositione.

(2) Nomine *Sortilegii* hic intelliguntur omnes diabolicae operationes, et praesertim Divinatio per Sortes.

(3) *Maleficium* est ars nocendi Doemonis coopera-  
tione. Huc maxime veniunt *Lamiae*, Mulieres illae  
deperditae, quae ope Daemonis hominibus insidiantur  
noxia quaeque moliendo.

calia etiam cum Sociis patrata, nec non ob Daemonis invocationem cum pacto donandi animam, Idololatriam (1), ac Superstitiones (2) haereticales exercitas, ac demum ob quae-cumque insinuata falsa Dogmata, incursis, postquam tamen Poenitens Complices, si quos in praemissis habeat, Ordinario loci, vel Sacrae Inquisitioni prout de iure, denunciaverit: et, quatenus ob iustas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a Poenitente seria promissione denunciacionem peragendi cum primum et meliori modo, quo iudicio tuo fieri poterit; et postquam in singulis casibus Haereses coram Te secrete abiuraverit; et pactum cum maledicto Dae-mone initum expresse revocaverit, traditis Tibi ad comburendum Syngrapha, forsitan exarata, aliisque mediis Superstitiosis; iniuncta pro modo excessum gravi Poenitentia salu-tari cum frequentia Sacramentorum, et obli-gatione se prudenti iudicio tuo retractandi apud Personas, coram quibus Haereses ma-nifestavit, et reparandi illata Scandala.

IV. Absolvendi a Censuris et Poenis Ec-clesiasticis incursis ob violationem Clausurae Regularium utriusque Sexus, dummodo non fuerit commissa cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, nec casus

(1) *Idololatria* est cultus soli Deo debitus, qui Creaturae exhibetur.

(2) *Superstitione* est cultus vitiosus veri Dei, vel cultus falsi Numinis: ita divus Thomas.

fuerint ad forum Ordinarii deducti, iniuncta congrua Poenitentia salutari. Et insuper absolvendi Mulieres tantum a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis ob violationem ad malum finem Clasurae Virorum Religiosorum incursis, dummodo tamen Casus occulti remaneant, iniuncta gravi Poenitentia salutari cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam, aut Conventum, seu Coenobium dictorum Religiosorum, durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a Censuris et Poenis Ecclesiasticis ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, iniuncta congrua Poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi Ordinario loci, aut cui de iure sive per se, sive per alium absque ulla mora, et, quantum fieri potest, ante absolutionem, libros prohibitos, si quos Poenitens in sua potestate retineat (1).

(1) Libri prohibiti post Constitutionem *Apostolicac Sedis* dividuntur in duas veluti Classes: nempe in libros sub culpa et poena prohibitos, et in libros sub culpa tantum prohibitos. In prima Classe comprehenduntur: 1º Libri Apostatarum a Christiana Fide et Haereticorum Haeresim propugnantes; 2º Libri cuiusvis Auctoris (sive Haeretici, sive non Haeretici) per Apostolicas Litteras nominatim prohibiti (expresso videlicet libri titulo). In secunda comprehenduntur omnes alii libri, quacunque alia ratione prohibiti, et quacumque de materia pertractent. Quaræ incurunt in Excommunicationem *speciali modo* Papæ reservatam omnes et singuli scienter legentes sine Auctoritate Sedis Apostolicæ libros in prima Classe comprehensos, et eosdem retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes. (V. sub App. I, N. I, § I, Cens. II). Legentes vero libros ad secundam Classem pertinentes

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta Munera a Regularibus (stricte dictis) utriusque Sexus: Iniuncta Poenitentia salutari, et quando agitur de Muneribus, quae valorem decem Scutorum non excedunt, imposta aliqua Eleemosyna iudicio tuo taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium Religionis aut Conventus, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de Bonis propriis Religionis: quatenus vero accepta Munera, vel fuerint ultra valorem Scutorum decem, vel constet fuisse de Bonis propriis Religionis, facta prius restitutione; quam si de presenti Poenitens adimplere nequeat; emissa seria promissione restituendi infra terminum tuo arbitrio praefiniendum: alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis eos, qui Sectis vetitis Massonicis, aut Carbonariis, aut aliis eiusdem generis Sectis nomen dederunt, aut qualecumque favorem praestiterunt, ita tamen, ut a respectiva Secta omnino se separent, eamque abiurent, manuscripta ac signa Sectam respiciencia, si quae retineant, in tuas manus tradant ad Ordinarium quamprimum caute transmitenda, aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, comburenda: iniuncta pro

absque Apostolico Indulto, peccant tantum *graviter*, quia transgreduntur gravissimum Ecclesiae praecipuum cum maximo spirituali eorum detimento,

modo culparum gravi Poenitentia salutari (1) cum frquentia Sacramentalis Confessionis, aliisque iniunctis de iure iniungendis (2): Nec non absolvendi eos, qui eiusmodi Sectarum Duces et Coriphaeos occultos denunciare culpabiliter neglexerint, iniuncta pariter salutari Poenitentia, et firma obligatione sub reincidentia eosdem Ordinario loci vel aliis, ad quos spectat, prout de iure, denunciandi.

VIII. Absolvendi Religiosos cuiuscumque Ordinis, dummodo apud Te legitimam habuerint licentiam peragendi Confessionem Sacramentalem, nec non Moniales, dummodo tamen pro ipsis fueris ab Ordinario approbatus vel deputatus, non solum a praemissis, sed etiam a Casibus, et Censuris in sua Religione reservatis.

IX. Commutandi, consideratis causis, omnia Vota Simplicia et privatim emissa in alia Poenitentiae, seu Pietatis Opera: exceptis quinque Votis Sedi Apostolicae reservatis, scilicet Castitatis, et Religionis, ac trium Peregrinationum, nempe ad Sacra SS. Apostolorum Limina, ad S. Iacobum in Com-

(1) Idest iuxta vires Poenitentis, habita ratione conditionis, aetatis, etc. Talis esset pro omnibus per sex menses Ieiunium semel in Hebdomada, vel recitatio Rosarii ter in Hebdomada, frequens Confessio saltem semel in Mense, Eleemosyna, etc. Si autem Poenitens debitam pro peccato Poenitentiam iani egerit, poterit ea moderari, modo Poenitentia non sit iniuncta tamquam Commutatio.

(2) Haec Clausula respicit obligationes, quas aliunde potest habere Poenitens, v. gr. Famae restituendae.

postellis, et ad Ierusalem, nec non in Votis poenalibus ad sese arcendum a peccatis; et insuper Voto non ludendi; ac Votis, in quibus agitur de praeiudicio, vel de iure Tertii (1).

X. Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum Transgressor Voti Castitatis privatim emissi, qui Matrimonium cum dicto Voto contraxerit monendo huiusmodi Poenitentem ad idem servandum teneri, tam extra licitum usum Matrimonii, quam si Marito, seu Uxori respective supervixerit.

XI. Dispensandi cum Incestuoso, seu Incestuosa ad petendum debitum coniugale, cuius ius amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum Consanguinea, vel Consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae Uxoris, seu respective Mariti, remota occasione peccandi (2) et iniuncta gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel quolibet Mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

XII. Dispensandi super occultis impedimentis primi, nec non primi et secundi, ac secundi tantum gradus Affinitatis provenien-

(1) Quemadmodum sunt etiam Vota, quae emittuntur a Viris aut Mulieribus in aliquibus Congregationibus, maxime si addatur Iuramentum Perseverantiae, tunc enim intervenit Contractus onerosus, qui non solvit, ob quamcumque circumstantiam etsi non praevisam.

(2) Idque ex Bouvier ad validitatem dispensationes; sed iuxta alios haec clausula ponitur tantum ad monendum Confessarium, quid ipsi agendum sit.

tis ex illicita copula, quando agatur de Matrimonio cum dicto impedimento iam contracto: Ita tamen, ut, si huiusmodi Affinitas proveniat ex copula cum Matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat; monito Poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata Uxore, vel suo putato Marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius delictum nusquam detegatur (1): et, quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta Regulas a probatis Auctoribus traditas: remota occasione peccandi; atque iniuncta Poenitentia salutari, et Confessione

(1) Pro Consensus renovatione, si nullum sit periculum infamiae aut separationis, aperte dicat Sponsa parti ignarae: *Nullum est Matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum*; vel dixit mihi Confessarius nullum esse, ideo renovemus Consensum. Quia tamen non ita facile id locum habere potest sine discrimine, aut separationis, aut Coniugum alienationis, ideo communiter assignantur alii modi: 1º Ut Sponsa dicat: *Quando nupsi tecum, non satis curavi de vero consensu; nunc verum praestare volo: Vis praestare et tu?* 2º Ut verba proferat: *Scrupulis angor de valore Matrimonii nostri, ideoque renovemus consensum*; id satis est, ut altera pars ponat Consensum novum independentem a primo. Si autem periculum sit ne pars illa impedimentum ignorans detrectet, et scandala gravesque molestiae timantur, licebit uti sententia contraria, quae docet sufficere ut sola pars impedimenti conscientia Consensum renovet et alteri declareret. (*V. S. Alph. L. VI, n. 1109 et Gousset Vol. II, pag. 664 n, 874*).

Sacramentali semel in Mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

XIII. Dispensandi super impedimento occulto (1) Criminis (2), dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de Matrimonio iam contracto; monitis putatis Coniugibus de necessaria secreta renovatione consensus; ac iniuneta gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel quolibet Mense, per tempus arbitrio tuo statuendum.

XIV. Dispensandi super occulta Irregularitate contracta ex violatione Censurarum dumtaxat cum Sacerdotibus, vel in Sacris Ordinibus constitutis, tam Saecularibus, quam Regularibus, dummodo tamen ipsi Regulares habeant, ut supra, legitimam licentiam peragendi apud te Confessionem Sacramentalem.

(1) Id est non notorium; nec obstat quod Impedimentum notum sit 4 aut 5 Personis loci; vel iuxta alios, si cognitum sit a 7 aut 8 Personis in Civitate, 6 solis Personis in Oppido, quae sint prudentes et impedimentum non evulgaturae; adeo ut non adsit prudens timor, quod impedimentum ex occulto fiat publicum.

(2) Impedimentum Criminis est illud, quod oritur ab uno ex his quatuor Capitibus: nempe; 1º. Ex homicidio cum conspiratione; 2º. Ex Adulterio cum homicidio; 3º. Ex Adulterio cum promissione Matrimonii; 4º. Ex Adulterio cum Matrimonii attentato. Hoe impedimentum inductum est, ne daretur occasio machinandi mortem Coniugis.


Volumus autem, ut abstineatis absolvere  
a Casibus reservatis locorum Ordinariis, nisi  
Facultatem ab eisdem obtainueritis.

Datum Romae ex Aedibus Nostris die 1  
Aprilis 1892 (1).

loco sigilli

⊕ N. AVERARDIUS, S. P. *Regens.*  
R. CELLI, S. P. *Substitutus.*

(1) Huiusmodi *Facultates* die 1 Aprilis 1892 concessae  
ad *Quinquennium*, tempore suo renovabuntur, ideoque  
pro Nostris Sociis fiunt tamquam perpetuae.



# APPENDIX III



**FACULTATES quibus gaudent Missionarii Nostri in America degentes, de licentia tamen et communicatione Superiorum respectivae Missionis.**

## N. I.

**FACULTATES, quibus pollent Nostri Missionarii Apostolici in Republica Argentina, sub directione tamen et dependentia absoluta respectivi Patris Ordinarii, sunt sequentes :**

I. Vescendi per iter tam in accessu, quam reditu ex Missione, et in locis, ubi necessitas ac salutis incommoda exegerint, Carnibus, Ovis, et Lacticiniis in die ieiunii ab Ecclesia, et eius Regula praescripti, ita ut ob salutis incommoda etiam ab observantia ieiunii exemptus remaneat, omni tamen scandalo remoto, onerata *Conscientia super veritate et gravitate causae.*

II. Recitandi quindecim decades Rosarii B. M. Virginis, si quandoque itineris causa, vel absque gravi incommodo Divinum Officium recitare nequeat, onerata *Conscientia super veritate et gravitate causae;*

III. Celebrandi per Mare Missam in Navigibus anchoratis super Altari portatili, cum assistentia tamen alterius Sacerdotis, dummodo sit Coelum serenum et Mare tranquillum (1);

IV. Celebrandi pariter Missam etiam in terra super Altari portatili, in locis tamen ubi non erunt Ecclesiae, vel Oratoria Privata, et ubi erunt Oratoria Privata absque praecipuus Indultariorum (2);

V. Faciendi Sacrum vel una hora ante Auroram, vel alia post Meridiem.

VI. Indultum Personale Perpetuum Alta-  
ris Privilegiati ter in Hebdomada, dummodo  
intuitu huius Privilegii nihil praeter con-  
suetam Eleemosynam percipiat.

VII. Benedicendi *ad quinquennium* extra  
Urbem Coronas precatorias, Cruces et Sa-  
cra Numismata; eisque applicandi Indulgen-  
tias iuxta folium typis impressum atque in-  
sertum, nec non Divae Birgittae nuncupatas,  
de Consensu R. P. D. Ordinarii (3).

VIII. Impertiendi Benedictionem cum In-

(1) S. Sedes quandoque indulget Sacerdotibus maritimum iter agentibus, Missam in Navi singulis diebus celebrare etiam in proprio Cubiculo, ubi de Nocte dormire adiunguntur; dummodo tamen debitae decentiae fuerit consultum, et Sacrosancta Mysteria in aliquo detrimentum non patiantur. *S. Rituum Congregatio Decretis 5 Martii et 30 Septembbris 1847.*

(2) Sive eorum, quibus concessum est Indultum O-  
ratori Privati.

(3) V. Cap. II, §§ II, pag. 48-50, et App. VI hujus Opusculi.

dulgentia Plenaria Christifidelibus in Article Mortis constitutis, iuxta folium impressum et insertum (1).

IX. Induendi se linea interiori tunica, femoralibus, et calceamentis ad se tuendum ab aëris intemperie, si aliter transire, vel permanere non poterit.

X. Equitandi, vel alio modo progrediendi, donec ad Missionis loca pervenerit et in aliis ubi necessitas urget.

XI. Deferendi, recipiendi, ac expendendi pro suis urgentibus, ac aliorum necessitatibus Pecunias, quae a Piis Benefactoribus ipsi fuerint oblatae, vel alio legitimo modo ad eum pervenerint.

XII. Legendi ac retinendi libros ab Apostolica Sede prohibitos etiam contra Religionem ex professo agentes ad effectum eos impugnandi, quos tamen diligenter custodiat, ne ad aliorum manus deveniant, exceptis Astrologicis, Iudiciariis, Superstitiosis, ac obscenis *ex professo*, de consensu R. P. D. Ordinarii. Pius IX Rescripto S. Cong. de *Propaganda Fide* sub die 14 Novembris 1875 pro Nostris Missionariis in Rempublicam Argentinam profecturis.

(1) Id est iuxta Ritum et formam a Benedicto XIV praescriptam Constitutione: *Pia Mater*, anno 1747 edita, quae prostat in quolibet Rituali Romano, et in App. VII huius opusculi.

N. II.

**FACULTATES, quibus gaudent iidem  
Missionarii Nostri Apostolici, in Au-  
dientia SS.mi D. N. Leonis PP. XIII  
habita a Domino Secretario S. Con-  
gregationis de Propaganda Fide, die  
2 Martii anni 1884, pro eisdem ob-  
tentae.**

Ex Audientia SSmi habita die 2 Martii anni 1884 SSmus Dnus Noster Leo Divina Pro-  
videntia Papa XIII, referente me infrascri-  
pto Sacrae Congregationis de Propaganda  
Fide Secretario sequentes Facultates benigne  
concessit R. D....

I. Vescendi per iter tam in accessu quam  
reditu ex Missione, et in locis ubi necessitas  
ac salutis incommoda exegerint, carnibus,  
Ovis et Lacticiniis in die ieunii exemptus  
remaneat, omni tamen scandalo remoto et  
onerata Conscientia Oratoris *super veritate  
et gravitate causae.*

II. Recitandi quindecim decades Rosarii  
B. M. V. si quandoque itineris, vel alia de  
causa absque gravi incommodo Divinum Of-  
ficium recitare nequeat, onerata Conscientia  
Oratoris *super veritate et gravitate incommodi.*

III. Celebundi per Mare Missam super Al-  
ari Portatili cum assistentia tamen alterius

Sacerdotis, dummodo sit Mare tranquillum  
et nullum adsit irrverentiae periculum (1).

IV. Celebrandi pariter Missam etiam in  
terra super Altari Portatili, in locis tamen,  
ubi non erunt Ecclesiae vel Oratoria Pri-  
vata; et ubi erunt Oratoria Privata, absque  
praeiudicio Indultariorum (2).

V. Faciendi Sacrum vel una hora ante  
Auroram, vel alia post Meridiem legitima  
concurrente causa.

VI. Indultum Personale Perpetuum Alta-  
ris Privilegiati ter in hebdomada, dummodo  
intuitu huius Privilegii nihil praeter con-  
suetam Eleemosynam percipiat.

VII. Benedicendi *ad quinquennium* extra

(1) Quod si repente magna exoriretur procella, tunc  
conditio Sacerdotis celebrantis per mare eadem fit  
ac illa Celebrantis in Ecclesia tempore Terraemotus;  
ideoque easdem leges sequi debet, scilicet: Ante Con-  
secrationem dimittatur Missa; si post, Sacerdos statim  
sumat Sacramentum et recedat. (V. QUARTI, pag. 166).

(2) « Olim Episcopi, etiam non Missionarii (ex Cap.  
» ult. *De Privilegiis* in 6), cum a suis Dioecesibus es-  
» sent absentes, poterant celebrare per se vel per alios  
» in quacumque Domo extra propriam habitationem.  
» Sed Clemens XI abstulit ipsis huiusmodi Faculta-  
» tem: verum Innocentius XIII iterum illam restituit  
» in sua Bulla *Apostolici Ministerii* sub die 3 Maii 1723  
» in qua dixit, quod prohibitio non erat intelligenda  
» de Domibus in quibus morarentur Episcopi occasione  
» *Visitationis*, vel *itineris*, ut nec etiam quando Episcopi  
» in casibus a iure permisis moram faciunt in aliena  
» Domo. Atque hoc confirmatum fuit per aliam Bul-  
» lam Benedicti XIV. Sed cum hoc Privilegium sit  
» Personale Episcopi, ideo advertit Tamburinus, alios  
» Sacerdotes, absentibus Episcopis, non posse in dictis  
» Domibus celebrare. » (V. S. Alph. Hom. Apost. Tract.  
XX, n. 63).

Urbem Coronas Precatorias, Cruces et Sacra Numismata (1), eisque applicandi Indulgencias, iuxta folium typis impressum atque insertum (2), nec non divae Birgittae nuncupatas (3), de consensu Ordinarii.

VIII. Impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in Articulo Mortis constitutis, iuxta folium typis impressum ac pariter insertum (4).

IX. Legendi ac retinendi de consensu tamen Ordinarii libros ab Apostolica Sede prohibitos, etiam contra Religionem ex professo agentes ad effectum eos impugnandi, quos tamen diligenter custodiat, ne ad aliorum manus deveniant, exceptis Astrologieis, Iudiciariis, Superstitiosis ac Obscenis *ex professo*.

Datum Romae ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis, die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

✠ S. Archiep. TYREN. Secr.ius.

(1) Haec Facultas Missionariis *ad tempus* concessa, nunc per Privilegorum Communicationem cum Redemptoristis in perpetuum Nobis obvenit. (V. Cap. II, §§ II, pag. 48-50 huius opusculi).

(2) V. huiusmodi folium typis impressum in Appendice VI.

(3) Quae et quot sint huiusmodi Indulgentiae V. Append. VI, et in *Comp. Facultatum etc.*, Cap. V, Artic. VI, §§ IV, V et VII.

(4) Quod etiam prostat in quolibet Rituali Romano sub titulo *Ritus Benedictionis Apostolicae in Articulo Mortis*, et in App. VII hujus opusculi.

NOTA. *Etsi memoratae Facultates, N. I et II inclusae, primitus pro determinato Missionariorum numero concessae fuerint, post tamen Communicationem Privilegiorum cum Redemptoristis extenduntur ad omnes Nostros Sacerdotes in exteris Missionibus adlaborantes, quum ex hac Communicatione Nobis multo plura obveniant.* (V. Comp. Facultatum etc., Cap. II, III et IV).

N. III.

**FACULTATES ORDINARIAE, quibus, ex Apostolicae Sedis gratia, gaudet ad decennium Ioannes Cagliero de Nostra Congregatione, Magydanus Episcopus et Vicarius Apostolicus Patagoniae Septentrionalis et Centralis, cum potestate eas suis Subditis communicandi, quae continentur in hac**

**FORMULA I.**

1. Conferendi Ordines extra Tempora, et non servatis Interstitiis usque ad Presbyteratum inclusive, si Sacerdotum necessitas ibi fuerit.
2. Dispensandi in quibuscumque Irregularitatibus (1), exceptis illis quae vel ex Bi-

(1) Irregularitas est Impedimentum Canonicum ad Ordines suscipiendos, susceptosque exercendos. Hinc Irregularis potest iurisdictionem exercere, quia ista

gamia Vera (1), vel ex Homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus Casibus, si praecisa necessitas Operariorum ibi fuerit, si tamen, quoad homicidium voluntarium, ex huiusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

3. Dispensandi super defectu aetatis unius Anni ob Operariorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint.

4. Dispensandi et commutandi Vota Simplicia in alia pia Opera, et dispensandi ex rationabili causa in Votis Simplicibus Castitatis et Religionis (2).

non privatur. Utrum vero collatio Beneficii facta Irregulari sit valida, licet alii aliud sentiant, dicendum, quod sit valida, sed potest irritari. Adverte quod Irregularitas non potest imponi, nisi a iure communis. Quando vero dubitatur, utrum in iure sit expressa, admittenda est, dummodo tamen communis sensus Doctorum, et Ecclesiae consuetudo eam admittat. Quoad varias Irregularitatum species et quomodo tollantur, V. inferius quae sub Appendice V habebimus.

(1) Bigamia est multiplicatio Matrimonii, et est triplex, nempe *Vera*, *Interpretativa*, et *Similitudinaria*. *Vera* est, quando quis successive contrahit Matrimonium cum pluribus, et consummat: *Interpretativa* est, quando quis contrahit cum Vidua, vel ab alio corrupta, et consummat, vel quando cognoscit suam uxorem ab alio cognitam tempore Matrimonii: *Similitudinaria* est, quando ligatus Voto Solemni Castitatis attentat Matrimonium, et consummat. (V. S. Alphons. L. VII, n. 436-448).

(2) Excipiuntur tamen semper Vota in praeiudicium Tertii, nec non quae emittuntur in Religiosis Congregationibus, quorum relaxatio ad Summum Pontificem vel ad Superiorum Generalem respectivae Congregationis pertinet.

5. Absolvendi et dispensandi in quacumque Simonia; et in Reali (1), dimissis Beneficiis, et super fructibus male perceptis, in iuncta aliqua Eleemosyna vel Poenitentia salutari arbitrio Dispensantis, vel etiam retentis Beneficiis, si fuerint Parochialia et non sint qui Parochiis praefici possint.

6. Dispensandi in 3º et 4º Consanguinitatis et Affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2º 3º et 4º mixtis, non tamen in 2º solo quoad futura Matrimonia; quod vero ad praeterita etiam in 2º solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab Haeresi vel Infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, et in praefatis Casibus Problem suscepitam declarandi legitimam.

7. Dispensandi super impedimento Publicae Honestatis iustis ex Sponsalibus proveniente.

8. Dispensandi super impedimento Criminis, neutro tamen Coniugum machinante, et restituendi ius amissum petendi debitum.

9. Dispensandi in impedimento Cognationis Spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

10. Hae vero dispensationes Matrimoniales videlicet 6ª 7ª 8ª et 9ª non concedantur, nisi cum Clausula: « Dummodo Mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate Raptoris non existat: » Et in dispensatione te-

(1) Quid et quotplex sit Simonia, V. App. I, § II in adnot. ad Censuras VIII, IX et X.

nor huiusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae (1).

11. Dispensandi cum Gentilibus et Infidelibus plures Uxores habentibus, ut post conversionem et Baptismum, quam ex illis maluerint si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

12. Conficiendi Olea Sacra cum Sacerdotibus, quos potuerint haberi; et si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini.

13. Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi Paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria ubi non intervenit Sacra Unctio; et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta; et in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

14. Largiendi ter in Anno Indulgentiam Plenariam contritis, confessis ac Sacra Communione refectis.

15. Absolvendi ab Haeresi et Apostasia a Fide et a Schismate (2) quoscumque etiam

(1) Quod vero spectat ad huiusmodi Impedimenta recolenda sunt quae in omni tractatu *de Matrimonio* diffuse disseruntur.

(2) Schisma graeca vox est, quae scissionem significat, definiri potest: *Voluntaria separatio Baptizati ab unitate Ecclesiae*. Hinc Schismaticus est non tantum qui se separat a Summo Pontifice, vel proprio Episcopo; sed etiam qui ab Ecclesiae membris se retrahit in Religionis cultu, oratione, Sacramentis etc. Si haec separatio fit sine errore contra Fidem, dicitur *Purum*, si cum aliquo errore, *coniunctum cum Haeresi*. Poenae in Schisma Purum sunt: 1º Excommunicatio Latae

Ecclesiasticos tam Saeculares quam Regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum in quibus impune grassantur Haereses deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post indicialem abiurationem illuc reversi in Haeresim fuerint relapsi et hos in foro Conscientiae tantum.

16. Absolvendi ab omnibus Censuris etiam *speciali modo* in Bulla *Apostolicae Sedis moderationi* diei 12 Octobris 1869 Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione Complicis in Peccato turpi.

17. Concedendi Indulgentiam Plenariam primo Conversis ab Haeresi, atque etiam Fidelibus quibuscumque in Articulo Mortis saltem contritis, si confiteri non poterint.

18. Concedendi Indulgentiam Plenariam in Oratione 40 Horarum ter in Anno indicenda diebus Episcopo benevisis, contritis et confessis et Sacra Communione refectis, si tamen ex concursu populi et Expositione Sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit Sacrilegii ab Haereticis et Infidelibus, aut offensionis a Magistratibus.

19. Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

Sententiae *speciali modo* Summo Pontifici reservata. (V. in Append. I, N. I, § I, Cens. III). 2º Privatio iurisdictionis. 3º Privatio et Inabilitas ad Beneficia. Si vero Schisma sit cum Haeresi coniunctum, Poenae sunt illae, quae iam in Haereticos habentur iure constitutae. (V. App. II in adnot. ad Facult. III).

20. Singulis Secundis Fериis non impeditis Officio 9 Lectionum, vel eis impeditis die immediate sequenti, celebrando Missam de Requie in quocumque Altari etiam portatili, liberandi Animas secundum eorum intentio-nem a Purgatorii Poenis per modum suffragii.

21. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam, ad tempus tamen, iis Sacerdotibus quos praecipue idoneos at-que honestos esse sciat, libros prohibitos, ex-ceptis operibus Dupuy, Volney, M. Righellini, Pigault, Le Brun, De Potter, Bonham, I. A. Dulaure, *Fêtes et Courtisanes de la Gréce*, No-velle di Casti, et aliis Operibus de Obscenis et contra Religionem ex professo tractantibus.

22. Praeficiendi Parochiis Regulares, eis-que suos deputandi Vicarios in defectu Sae-cularium, de consensu tamen suorum Su-pe-riorum.

23. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat (1), ita tamen ut in prima Missa non

(1) Necessitas ergo est unicus titulus, ex quo Fa-cultas Sacerdotibus fit duas dicendi Missas: haec au-tem necessitas non est desumenda ex parte inopiae Sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis po-puli et raritate Sacerdotum. Etiam Presbyterorum paupertas non iustificat Missae iterationem: a Bene-dicto enim XIV appellatur *abusus intolerabilis* con-cessio alieni Sacerdoti facta iterandi Missam eum in-finem, ut duplici Eleemosyna decentius se sustentaret. (*Const. Apostolicum Ministerium*). Habita tamen ratione circumstantiarum quarumdam Missionum, SSmus Pater Pins IX dignatus est auctoritatem facere earum Or-dinariis ad permittendum, ut, justa et gravi causa intercedente, Sacerdotes sibi Subditi etiam pro se-

sumpserit ablutionem, per unam horam ante Auroram et aliam post Meridiem sine Ministro et sub dio (1) et sub terra, in loco tamen decenti etiamsi Altare sit fractum vel sine Reliquis Sanctorum, et praesentibus Haereticis, Schismaticis, Infidelibus et Excommunicatis, si aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius Conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti iuxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius Conscientiae iniungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet (2).

24. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad Infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem Infirmis, in

cunda Missa in eadem die celebranda, stipendum percipere possint et valeant. (*S. Cong. de Propaganda Fide Instruct. 24 Maii 1880*).

(1) A cielo aperto.

(2) Iuxta tamen Instructionem a S. Rituum Congregatione die 12 Septembris 1857 edita pro Sacerdote Apostolicam Facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi, quae prostat in App. ad Rituale Romanum.

loco tamen decenti, si ab Haereticis aut Infidelibus sit periculum Sacrilegii (1).

25. Induendi se vestibus Saecularibus, si aliter vel transire ad Loca eorum curae commissa, vel in eis permanere non poterint.

26. Recitandi Rosarium 15 decadum, vel alias Preces, si Breviarium secum deferre non poterint, vel Divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

27. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu Carnium, Ovorum et Lactiniorum tempore Ieiuniorum et Quadragesimae, non tamen per generale Indultum sed in casibus particularibus.

28. Praedictas Facultates communicandi, non tamen illas quae requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleum usu exercentur, Sacerdotibus idoneis qui in eorum Dioecesibus laborabunt, et praesertim tempore sui Obitus, ut Sede vacante sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per Delegatos vel per unum ex eis, alio modo provideat: quibus Delegatis Auctoritate Apostolica Facultas conceditur, Sede vacante et in easu necessitatis, consecrandi Calices, Patenas et Altaria Portatilia Sacris Oleis ab Episcopo tamen benedictis.

(1) Quoad Modum Sacram Eucharistiam deferendi occulte ad Infirmos ob metum Infidelium, V. Append. ad Rituale Romanum, et adnotacionem ad n. 22 sub N. X huius III Appendix.

29. Et praedictae Facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur, et ad Decennium tantum concessae intelligentur, nec illis uti possit extra fines suae Dioecesis.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 6 Ianuarii 1884.

☩ D. Archiep. TYREN. Secrius.

N. IV.

FACULTATES  
EXTRAORDINARIAE.

FORMULA A.

30. Eidem Episcopo Ioanni Cagliero Vicario Apostolico Patagoniae Septentrionalis et Centralis concessa est Facultas « dispensandi in utroque foro cum Catholicis pauperibus eius iurisdictioni subiectis, et qui ad S. Sedem recurrere nequeunt in Matrimoniis contrahendis super impedimento primi gradus Affinitatis in linea collaterali ex copula licita proveniente pro 30 Casibus, et super impedimento secundi gradus Consanguinitatis admixti cum primo in linea transversali, in Matrimoniis item contrahendis pro 15 Casibus, ac etiam contrahentes absolvendi, dummodo opus sit, ab Incestus reatu et Censuris, ac Prolem tam susceptam quam suscipiendam legitimam declarandi. Voluit autem

Sanctitas Sua ac omnino praecipit, ut praedictus Episcopus iisdem Facultatibus gravissimis dumtaxat concurrentibus causis et gratis utatur, iniuneta tamen aliqua congrua Eleemosyna in pium Opus arbitrio ipsius Episcopi eroganda.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 6 Ianuarii 1884.

¶ D. Archiep. TYREN. Secrius. »

N. V.

**FACULTATES  
EXTRAORDINARIAE.**

**FORMULA AA.**

31. Insuper Eidem Episcopo, « qui iam ex Apostolicae Sedis benignitate potestatem dispensandi super quibusdam Matrimonii impedimentis quae in Formula I. n. 6. continentur est assecutus, Facultas concessa est dispensandi in utroque foro *ad Decennium* ab hac die inchoandum cum Catholicis eius iurisdictioni subiectis super aliis Cognationis et Affinitatis gradibus, vel alias coniunctis seu inter se attinentibus, nempe in tertio et quarto cum attingentia secundi, imo in tertio quoque et secundo cum attingentia primi gradus Affinitatis in linea transversali, dummodo tamen nullo modo

attingat Consanguinitatis primum; ac etiam in primo gradu Affinitatis ex copula tantum illicita resultantis, sive per lineam collateralem sive per lineam rectam, dummodo certo constet quod Coniux non sit Proles ab altero contrahentium<sup>m</sup> genita, ut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto, renovato tamen consensu coram Parocho et testibus, remanere valeant; et eos, qui in gradibus huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et Excommunicationibus, aliisque Censuris et Poenis Ecclesiasticis, iniuncta ipsis pro modo culpae Poenitentia salutari, in utroque foro absolvendi, ac Prolem inde susceptam legitimam decernendi. Voluit autem Sanctitas Sua ac omnino praecipit, ut praedictus Episcopus eisdem Facultatibus gravibus dumtaxat concurrentibus causis et gratis utatur, iniuncta tamen aliqua congrua Eleemosyna in pium Opus arbitrio ipsius Ordinarii eroganda. Tandem SSmus Pater eidem Episcopo potestatem fecit praedictas Facultates communicandi, causa tantum sui Obitus, Sacerdoti idoneo suae Dioecesis ut, Sede vacante, sit qui interim eas exerceat, donec Sedes Apostolica certior facta alio modo provideat.

Datum Romae ex Aedibus S. Congreg. de Propaganda Fide, die 6 Ianuarii 1884.

✠ D. Archiep. TYREN. Secrius. »

NOTA. *Omnes denique Facultates sive Ordinariae sub Formula I, sive Extraordinariae sub Formulis A et AA, hactenus recensitae, R.mo D. Ioanni Cagliero concessae fuerunt tamquam Pro Vicario Patagoniae Septentrionalis et Centralis, post vero electionem eius ad Episcopalem Dignitatem ipsae, sub die 16 Novembris 1884, ad literam renovatae fuerunt Ei, veluti Episcopo et Vicario eiusdem Patagoniae; quae denuo tempore suo renovabuntur.*

N. VI.

**ALIAE FACULTATES EXTRAORDINARIAE eidem Vicario Apostolico concessae ex Rescripto S. Congreg. de Propaganda Fide die 27 Decembris 1885, dispensandi scilicet pro triginta Casibus cum suis Subditis, exceptis Italis de quibus non constet italicum domicilium omnino deseruisse, super impedimento impediente mixtae Religionis in Matrimoniis contrahendis.**

32. Ex Audientia SS.mi habita die 27 Decembris 1885.

SS.mus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto Archiepiscopo Tyren. S. Congr. de Propaganda Fide Secretario, Ioanni Episcopo titu-

lari Magydano, Vicario Apostolico Patagoniae Septentrionalis facultatem benigne concessit:

Dispensandi pro triginta Casibus cum suis Subditis, exceptis Italos de quibus non constet Italicum Domicilium omnino deseruisse, super impedimento impediente mixtae Religionis, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praecepsis ac praesertim de amovendo a Catholico Coniuge per versionis periculo, deque conversione Coniugis Acatholici pro viribus curanda, ac de universa utriusque sexus Prole in Catholicae Religionis sanctitate omnino educanda, servata in reliquis adiecta Instructione typis impressa (1).

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis, die et anno ut supra.

☩ D. Archiep. TYREN. Secr.ius.

Gratis quocumque titulo.

(1) Hanc vide in opere: *Collectanea Constitutionum, Decretorum, Indultorum ac Instructionum Sanctae Sedis ad usum Operariorum Apostolicorum Societatis Missionum ad Exteros etc.* edito Parisiis anno 1880, pag. 481 sub N. 885. — Insuper notandum quod supradictae Facultates extraordinariae sub Formulis A, AA et N. VI Vicario Apostolico Patagoniae Septentrionalis et Centralis tributae, die 8 Aprilis 1888 fuerunt etiam concessae Praefecto Apostolico Patagoniae Meridionalis. V. N. XI, XII, XIII huius Appendixis.

N. VII.

**RESCRIPTUM S. Congreg. de Propaganda Fide diei 15 Aprilis 1888 eidem Vicario Apostolico Facultatem super quibusdam impedimentis Matrimonium dirimentibus, jam concessis singillatim sumptis, etiam in Casibus, in quibus duo vel plura simul concurrant ex praedictis, nec non concurrente quoque impedimento mixtae Communionis, dispensandi tribuens.**

*Prot. 1791.*

33. Ex Audientia SS.mi habita die 15 Aprilis 1888.

SS.mus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto S. Congreg. de Propaganda Fide Secretario, R. P. D. Ioanni Cagliero Ep. tit. Magyd. Vic. Apostolico Patagoniae Septentrionalis et Centralis benigne indulxit ut Facultatibus ab Apostolica Sede Ei tributis dispensandi super quibusdam impedimentis Matrimonium dirimentibus singillatim sumptis uti etiam possit in Casibus, in quibus duo vel plura simul concurrant ex praedictis impedimentis, nec non concurrente quoque impedimento mixtae Communionis, si etiam pro huius dispensatione concedenda Facultatem iam obtinuerit (1); accendentibus tamen iustis iisque

(1) V. huiusmodi Facultatem superius sub N. VI-32 praesentis Appendicis.

gravibus causis, et in urgentioribus Casibus, pro quibus tempus non suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem, et dummodo singulae Facultates, sive primitus ab eo obtentae sive Ei renovatae, adhuc perdurent, et si agatur de Facultatibus pro certo casuum numero taxative eidem concessis, hunc numerum non excedat. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis die et anno ut supra.

Loco ☧ sigilli. Gratis quocumque titulo.

☩ D. Archiep. TYREN. Secr.ius.

## N. VIII.

**FACULTATES OMNES EXTRA-  
ORDINARIAS, quibus pollet Vicarius Apostolicus Patagoniae Septentrionalis et Centralis dispensandi cum Catholicis suae iurisdictioni subiectis circa impedimenta Matrimonium dirimentia ex Rescripto S. Congregationis de Propaganda Fide sub die 15 Aprilis 1888, Ipse, Sacerdotibus Sacro Ministerio in suo Vicariatu fungentibus, communicare potest.**

*Prot. 1791.*

34. Ex Audientia SS.mi habita die 15 Aprilis 1888.

SS.mus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto

Archiepiscopo Tyren. S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, R. P. D. Ioanni Cagliero Episcopo titulari Magyd. Vicario Apostolico Patagoniae Septentrion. et Centralis Facultatem benigne concessit communicandi Sacerdotibus Sacro Ministerio in suo Vicariatu fungentibus omnes Facultates extraordinarias quibus pollet dispensandi cum Catholicis suae iurisdictioni subiectis circa impedimenta dirimentia, accendentibus tamen iustis iisque gravibus causis, et in urgenteribus Casibus pro quibus tempus non suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem, et dummodo singulae Facultates, sive primitus ab eo obtentae, sive ei renovatae, adhuc perdurent, et si agatur de Facultatibus pro certo Casuum numero taxative Eadem concessis, hunc numerum non excedat. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis die et anno ut supra.

Loco ☩ sigilli. Gratis quocumque titulo.

☩ D. Archiep. TYREN. Seerius.



N. IX.

**FACULTAS** impertiendi Fidelibus ter  
in anno Solemnem Benedictionem A-  
postolicam seu Papalem cum Indul-  
gentia Plenaria R.mo Vicario Apo-  
stolico Patagoniae Septentrionalis  
et Centralis, die 6 Novembris 1892,  
ad decennium concessa.

Prot. 4581.

35. Ex Audientia SS.mi habita die 6 No-  
vembris 1892.

SS.mus Dominus Noster Leo Divina Pro-  
videntia PP. XIII, referente me infrascripto  
S. Congregationis de Propaganda Fide Pro  
Secretario, R. P. D. Ioanni Cagliero, Epi-  
scopo titulari Magydensi, Vicario Apostolico  
Patagoniae Septentrionalis et Centralis Fa-  
cultatem benigne concessit, ad decennium  
impertiendi in die Nativitatis Domini Nostri  
Iesu Christi et in die Paschatis Resurrectio-  
nis Domini Nostri Iesu Christi, nec non in  
alio die ab eodem seligendo Benedictionem  
Papalem iuxta formulam typis impressam  
atque insertam (1) cum Indulgentia Plena-  
ria ab iis lucranda qui vere poenitentes, sa-  
cramentaliter confessi ac Sacra Eucharistia  
refecti eidem Benedictioni interfuerint, pia-  
sque ad Deum preces pro Sanctae Fidei pro-

(1) V. Append. VIII.

pagatione et iuxta Summi Pontificis intentionem effuderint.

Datum Romæ ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis, die et anno ut supra.

Loco  sigilli

J. AUG. Arch. Larissen.  
Pro-Secr.ius.

Gratis quocumque titulo.

## N. X.

**FACULTATES, quibus, ex Sanctae Sedis benignitate, gaudet durante munere R. D. Iosephus Fagnanus, Presbyter Salesianus, Praefectus Apostolicus Patagoniae Meridionalis et Insularum adiacentium, etiam cum potestate eas Sociis suae Missionis et aliis Presbyteris idoneis communicandi, quae continentur in hac**

## FORMULA IV.

1. Dispensandi in quibuscumque Irregularitatibus (1), exceptis illis quae ex Bigamia vera (2) vel ex Homicidio voluntario prove-

(1) Quid et quotplex sit Irregularitas, V. Cap. I, § IV cum adnot., et inferius in App. V.

(2) Bigamia est reiteratio successiva Matrimonii consummati, seu divisio carnis in duas successive uxores. Additur *successiva*, vel *successive* ad differentiam Poligamiae, quae non est successiva, sed simultanea pluralitas uxorum, qualis olim ex divina revelatione

niunt; et in his etiam duobus Casibus si praecisa necessitas Operariorum ibi fuerit, si tamen quoad Homicidium voluntarium ex huiusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

2. Dispensandi et commutandi Vota simplicia etiam Castitatis ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis (1).

3. Absolvendi et dispensandi in quacumque Simonia; et in Reali, dimissis Beneficiis, et super fructibus male perceptis, iniuncta aliqua Eleemosyna vel Poenitentia salutari arbitrio Dispensantis, vel etiam retentis Beneficiis si fuerint Parochialia, et non sint qui Parochiis praefici possint.

4. Dispensaedi in 3º et 4º Consanguinitatis et Affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2º 3º et 4º mixtis, non tamen in 2º solo quoad futura Matrimonia; quod vero ad praeterita etiam in 2º solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab Haeresi vel Infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, et in praefatis Casibus Prolem susceptam declarandi legitimam.

5. Dispensandi super impedimento Pu-

atque dispensatione Patriarchis et aliis antiquae legis permissa fuerat. At in lege evangelica fuit a Christo Domino penitus reprobata et sublata. Quid vero sit Bigamia *vera*, V. superius sub N. III in adnot. ad n. 2 praesentis Appendicis.

(1) Excipiuntur quoque Vota in praeiudicium tertii et quae emittuntur in Congregationibus Religiosis.

blicae Honestatis iustis ex Sponsalibus proveniente.

6. Dispensandi super impedimentis Criminis neutro tamen Coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum.

7. Dispensandi in impedimento Cognationis Spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

8. Hae vero dispensationes Matrimoniales videlicet 4<sup>a</sup> 5<sup>a</sup> 6<sup>a</sup> et 7<sup>a</sup> non concedantur nisi cum clausula: Dummodo Mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate Raptoris non existat: neque in utroque foro ubi erunt Episcopi, sed in foro Conscientiae tantum, et in illis expediendis tenor huiusmodi Facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.

9. Dispensandi cum Gentilibus et Infidelibus plures Uxores habentibus ut post conversionem et Baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

10. Absolvendi ab Haeresi et Apostasia a Fide et a Schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos tam Saeculares quam Regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum in quibus impune grassantur Haereses deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur Haereses, et post iudicialem abiur-

rationem illuc reversi in Haeresim fuerint relapsi, et hos in foro Conscientiae tantum.

11. Absolvendi ab omnibus Censuris etiam *speciali modo* in Bulla *Apostolicae Sedis Moderationi* diei 12 Octobris 1869, Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione Complicis in peccato turpi.

12. Benedicendi Paramenta et alia utensilia pro Sacrificio Missae.

13. Recitandi Rosarium vel alias Preces si Breviarium secum deferre non poterint, vel Divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

14. Reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo, et huiusmodi Facultatem communicandi simplicibus Sacerdotibus.

15. Consecrandi Calices, Patenas et Altaria portatilia cum Oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas (1), vel sedes vacet.

16. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu Carnium, Ovorum et Lacticiniorum tempore Ieiuniorum et Quadragesimae.

17. Celebrandi bis in die si necessitas urget, ita tamen ut in prima Missa non sumpscerit ablutionem, per unam horam ante Auroram et aliam post Meridiem in Altari

(1) Seu quadraginta Millaria.

portatili, sine Ministro, sub dio et sub terra  
in loco tamen decenti, etiamsi Altare sit  
fractum vel sine Reliquiis Sanctorum, et  
praesentibus Haereticis, Schismaticis, Infidelibus et Excommunicatis, dummodo Mi-  
nister non sit haereticus aut excommuni-  
catus, ac aliter celebrari non possit. Hu-  
iusmodi autem Facultate bis in die cele-  
brandi nullatenus uti liceat, nisi rarissime  
et ex gravissimis et urgentissimis causis, in  
quo graviter eius Conscientia oneratur. Quod  
si ad praesens aut in posterum quandocum-  
que aderit Episcopus aut Vicarius Generalis  
aut Capitularis sive Vicarius Apostolicus,  
ad cuius Dioecesim seu administrationem  
pertineant loca ubi secundo celebrari conti-  
gerit, praefata Facultas bis celebrandi nullius  
prorsus sit roboris ac momenti, nisi prius  
praedicto Episcopo, aut eo absente, ipsius  
Vicario Generali aut respective Capitulari  
aut Vicario Apostolico fuerit exhibita, ab  
eoque examinatae et approbatae fuerint in  
scriptis causae ea utendi, nec aliter concessa  
intelligatur quam iuxta moderationem ab ipso  
apponendam et non alias; cuius Episcopi seu  
Vicarii Conscientia oneratur ut nonnisi ex ur-  
gentissimis causis, ut supra dictum est, et ad  
breve tempus ea uti permittat. Quam tamen  
Facultatem poterit Episcopus seu Vicarius, si  
in Domino visum fuerit expedire, ad aliud  
breve tempus pluries et eadem servata forma  
prorogare, intra tempus in hac Facultate a

Sancta Sede concessum et non ultra. Id ipsum autem prorsus servetur ab iis, quibus haec eadem Facultas celebrandi bis in die iuxta potestatem inferius apponendam communica fuerit, adeo ut nemo ex ipsis nisi iuxta moderationem ab Episcopo vel eius Vicario Capitulari vel Generali, seu Vicario Apostolico, ut dictum est, singulis apponendam huiusmodi Facultate uti valeat, iniuncto eorumdem Episcoporum seu Vicariorum Conscientiae, ut ultra superius dicta, non omnibus indifferenter quibus fuerit communica, sed paucis dumtaxat iisque maturioris prudentiae ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad breve tempus, ut dictum est, Facultatem quoad hoc communicatam approbet (1).

18. Concedendi Ingulfentiam Plenariam primo Conversis ab Haeresi, atque etiam Fidelibus quibuscumque in Articulo Mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

19. Concedendi Indulgentiam Plenariam in Oratione 40 Horarum ter in anno indicenda diebus Episcopo benevisis, contritis et confessis et Sacra Communione refectis, si tamen

(1) Et iuxta Instructionem a S. Rituum Congregatione die 12 Septembris 1857 edita pro Sacerdote Apostolicam Facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi, quae habetur in Append. ad Rituale Romanum. Quod vero spectat ad perceptionem Eleemosynae aut Stipendii pro secunda Missa, V. adnot. ad n. 23, sub N. III praesentis Appendixis.

ex concursu populi et Expositione Sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit Sacrilegii ab Haereticis et Infidelibus, aut a Magistratibus offensum iri.

20. Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

21. Singulis secundis Feriis non impeditis Officio 9 Lectionum, vel eis impeditis die immediate sequenti celebrando Missam de Requie in quocumque Altari etiam portatili liberandi Animas secundum eius intentionem a Purgatorii poenis per modum suffragii.

22. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad Infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem Infirmis, in loco tamen decenti si ab Haereticis aut Infidelibus sit periculum Sacrilegii (1).

(1) Quoad usum huiusmodi Facultatis sic legitur in Appendice *ad Rituale Romanum*: « Ubi Turcarum » (seu Infidelium) vis praevaleat et iniquitas, Sacerdos » Stolam semper habeat propriis coopertam Vestibus; » in Saeculo, seu Bursa Pixedem recondat, quam per » funiculos collo appensam in sinu reponat, et num- » quam solus procedat, sed uno saltem Fideli, in de- » fectu Clerici, associetur. » Insuper ad diluenda varia dubia circa eiusdem Facultatis intelligentiam, S. Rituum Congregatio declaravit: » Vi praefati Indulti licere Missionariis occulte ministrare Infirmis sine Vestibus Sacris et Lumine Sanctam Communionem atque Extremam Unctionem, si pariter ab Haereticis et Infidelibus sit periculum Sacrilegii; item dicto modo deferre et ministrare Sanctam Communionem iis, qui longo tempore in Careeribus Acatholicis detinentur, si immineat idem periculum, et adsint causae prudenti iudicio Missionarii, graves, pro Saera Eucharistia administranda: omittendum tamen non esse, quoties-

23. Induendi Vester Saeculares, si aliter vel transire vel permanere non poterit in locis Missionum.

24. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam iis Missionariis quibus in Domino sibi expedire videbitur, libros Haereticorum vel Infidelium de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi in scriptis vel in voce, et aliquos quomodolibet prohibitos, praeter Opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, Historiam Civilem Regni Neapolis Petri Giannone, Poema inscriptum « *La Puçelle d'Orleans* » et librum cui titulus *De l'Esprit*, Istruzioni intorno la S. Sede tradotta dal francese 1765; Oeuvres Philosophiques de Monsieur de la Metrie; Les Colimaçons, Abregé de l'Histoire Ecclesiastique sub mentito nomine Fleury; Riflessioni d'un Italiano sopra la Chiesa in generale, Système de la nature, Il vero Dispotismo, Londra 1770, la Raison par Alphabet, et Ioannis Laurentii Isembielh novum Tentamèn in Prophetiam de Emmanuele; Histoire Critique de Jésus-Christ, Nouaux Mélanges Philosophiques, Historiques Critiques, nec non Libellum cui titulus: « Universalis Professio Fidei omnium Religionum, » ac Eybel De Auriculari Confessione 1784, et alterum eiusdem Auctoris inscriptum « Quid

cumque fieri potest, quod Sacerdos in ipso Cubiculo Infirmi aut Carecari Veste Talari et Stola se induat. » (*S. Congr. Rit. Deer. 4 Februarii 1871*).

est Papa? » ac libros de Astrologia Iudicaria principaliter aut incidenter vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex ipsis Provinciis non efferantur.

25. Administrandi omnia Sacraenta etiam Parochialia, Ordine et Confirmatione exceptis, et quoad Sacraenta Parochialia in Dioecesibus ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii aut eorum Vicariorum, vel in Parochiis ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt de eorum licentia.

26. Communicandi has Facultates in totum vel in parte Fratribus suae Missionis quos Sacra Congregatio de Propaganda Fide destinaverit et approbaverit, nec non aliis Presbyteris quos idoneos iudicaverit, tam pro omnibus locis in ea Missione contentis, quam pro aliquibus eorum et ad tempus sibi beneficium, prout magis in Domino expedire iudicaverit, nec non quatenus opus fuerit revocandi sive etiam moderandi tam circa illarum usum, quam circa loca et tempus easdem exercendi: quod etiam, eo absente, Vice Praefecto intelligatur concessum, ita tamen ut nec eidem Praefecto aut Vice Praefecto nec ipsorum cuiilibet liceat eisdem ullo pacto uti extra fines suae Missionis. Tempore vero sui obitus liceat eidem, si in Missione praesens fuerit, hanc eamdem Praefecti Facultatem alteri communicare; si vero fuerit absens hoc ipsum Vice Praefecto tempore obitus ipsius Vice Praefecti concessum intelligatur, ut sit,

qui interim possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debet per Delegatum, alio modo provideat.

27. Et predictae Facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur, et *durante munere tantum concessae intelligantur.*

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congr. de Propaganda Fide die 2 mensis Decembris anni 1883.

✠ *D. Archiep. TYREN. Secrius.*

N. XI.

**FACULTATES EXTRAORDINARIAE**, ex Formula A, super aliquibus impedimentis Matrimonium dirimentibus dispensandi eidem Praefecto ad determinatum Casuum numerum, die **8 Aprilis 1888**, concessae. (**V.** etiam hujusmodi Facultates superius sub N. **IV-30** praesentis Appendix).

*Prot. 1774.*

28. Ex Audientia Sanctissimi habita die 8 Aprilis an. 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infra scripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, et spiritualibus necessitatibus animarum

Christifidelium in dissitis regionibus prospicere cupiens, *R.mo D. Iosepho Fagnano Praefecto Apostolico Patagoniae Meridion. et Insulae vulgo « Terra del Fuoco »* Facultatem concessit dispensandi in utroque foro cum Catholicis pauperibus eius iurisdictioni subiectis, et qui ad S. Sedem recurrere nequeunt in Matrimonis contrahendis super impedimento primi gradus Affinitatis in linea collaterali ex copula licita proveniente pro 30 *Casibus*, et super impedimento secundi gradus Consanguinitatis admixti cum primo in linea transversali, in Matrimonis item contrahendis pro 15 *Casibus*, ac etiam contrahentes absolvendi, dummodo opus sit, ab Incestus reatu et Censuris, ac Prolem tam susceptam quam suscipiendam legitimam declarandi. Voluit autem Sanctitas Sua ac omnino praecipit, ut praedictus Episcopus vel *Praefectus* iisdem Facultatibus gravissimis dumtaxat concurrentibus causis et gratis utatur, iniuncta tamen aliqua congrua Eleemosyna in pium Opus arbitrio ipsius Episcopi vel *Praefecti* eroganda.

Datum Romae ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

Loco ✠ sigilli

✠ *D. Archiep. TYREN. Seer.ius.*

N. XII.

**FACULTATES EXTRAORDINARIAE, ex Formula AA, super quibusdam aliis, praeter supradictos gradus in Formula IV N. X-4 contentos, Cognitionis et Affinitatis gradibus, etiamsi coniunctis seu inter se attinentibus, dispensandi circa Matrimonia contrahenda vel iam contracta, eidem Praefecto ad decennium, die 8 Aprilis 1888, concessae. (V. hanc ipsam Concessione superius sub N. V-31 huius Appendix).**

Prot. 1774.

29. Ex Audientia Sanctissimi habita die 8 Aprilis 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infra scripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, et spiritualibus necessitatibus animarum Christifidelium in dissitis regionibus prospicere cupiens, *R.mo D. Iosepho Fagnano Praefecto Ap. Patagoniae Meridion. et Insulae vulgo « Terra del Fuoco » etc.*, qui iam ex Apostolicae Sedis benignitate potestatem dispensandi super quibusdam Matrimonii impedimentis, quae in Formula IV n. 4. continentur est assecutus, Facultatem insuper concessit dispensandi in utroque foro *ad decennium* ab hac die inchoandum cum Catholicis eius iurisdictioni

subiectis super aliis Cognitionis et Affinitatis gradibus, etiamsi coniunctis seu interesse attinentibus, nempe in tertio et quarto cum attingentia secundi, imo in tertio quoque et secundo cum attingentia primi gradus Affinitatis in linea transversali, dummodo tamen nullo modo attingat Consanguinitatis primum; ac etiam in primo gradu Affinitatis ex copula tantum illicita resultantis, sive per lineam collateralem sive per lineam rectam, dummodo certo constet quod Coniuix non sit proles ab altero contrahentium genita, ut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto, renovato tamen consensu coram Parocho et testibus, remanere valeant; et eos, qui in gradibus huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et Excommunicationibus, aliquisque Censuris et Poenis Ecclesiasticis, iniuncta ipsis pro modo culpae Poenitentia salutari, in utroque foro absolvendi, ac Prolem inde susceptam legitimam decernendi. Voluit autem Sanctitas Sua ac omnino praecipit, ut praedictus Episcopus seu *Praefectus* eisdem Facultatibus gravibus dumtaxat concurrentibus causis et gratis utatur, iniuncta tamen aliqua congrua Eleemosyna in pium Opus arbitrio ipsius Ordinarii seu *Praefecti* erganda.

Tandem SS.mus Pater eidem Episcopo seu *Praefecto* potestatem fecit praedictas Facultates communicandi, causa tantum sui obitus,

Sacerdoti idoneo suae Dioecesis vel *Praefecturae* (1), ut, Sede vel *Praefectura* vacante, sit qui interim eas exerceat, donec Sedes Apostolica certior facta alio modo provideat.

Datum Romae ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

Loco ✠ sigilli

✠ D. Archiep. TYREN. Seer. ius.

### N. XIII.

**ALIAE FACULTATES EXTRAORDINARIAE** eidem **Praefecto Apostolico**, ex **Rescripto S. Congr. de Propaganda Fide**, die **27 Dec. 1885**, concessae, dispensandi scilicet pro triginta Casibus cum suis Subditis, exceptis Italiam de quibus non constet **Italicum domicilium omnino deserruisse**, super impedimento impediente mixtae Religionis in Matrimoniis contrahendis. (V. etiam huiusmodi Facultates superius sub N. VI-32).

Prot. 5775.

30. Ex Audientia SS.mi habita die 27 Decembris 1885.

SS.mus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto

(1) Adverte tamen quod Praefectus Apostolicus Patagoniae Meridionalis, ex Indulto inferius, sub N.XV-32, exposito, gaudet quidem potestate communicandi huiusmodi Facultates absque hac adiecta limitatione.

Archiepiscopo Tyren. S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, R.mo P. Iosepho Fagnano Praefecto Apostolico Patagoniae Meridionalis Facultatem benigne concessit dispensandi pro *triginta Casibus* cum suis Subditis, exceptis Italibus de quibus non constet Italicum Domicilium omnino deseruisse, super impedimento impediente *mixtae Religionis*, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis ac praesertim de amovendo a Catholico Coniuge perversio-*n*is periculo, deque conversione Coniugis Acatholici pro viribus curanda, ac de univer-*s*a utriusque sexus prole in Catholicae Religionis sanctitate omnino educanda, servata in reliquis adiecta Instructione typis impressa.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis, die et anno ut supra.

Loco  sigilli.

 *D. Archiep. TYREN. Secr.ius.*

Gratis quocumque titulo.



N. XIV.

**RESRIPTUM S. Congr. de Propaganda Fide diei 8 Aprilis 1888 ei-  
dem Praefecto Apostolico Faculta-  
tem super quibusdam impedimentis  
Matrimonium dirimentibus, iam con-  
cessis singillatim sumptis, etiam in  
Casibus, in quibus duo vel plura ex  
praedictis simul concurrant, nec non  
concurrente quoque impedimento  
mixtae Communionis, dispensandi  
tribuens. (V. etiam hujusmodi Con-  
cessionem superius sub N. VII-33).**

*Prot. 1774.*

31. Ex Audientia SS.mi habita die 8 A-  
prilis 1888.

SS.mus Dominus Noster Leo Divina Pro-  
videntia PP. XIII, referente me infrascripto  
S. Congregationis de Propaganda Fide Se-  
cretario, R.mo D. Iosepho Fagnano Praefecto  
Apost. Patagoniae Meridionalis etc. benigne  
indulxit ut Facultatibus ab Apostolica Sede  
Ei tributis dispensandi super quibusdam im-  
pedimentis Matrimonium dirimentibus sin-  
gillatim sumptis uti etiam possit in Casibus,  
in quibus duo vel plura simul concurrant ex  
praedictis impedimentis, nec non concurrente  
quoque impedimento mixtae Communionis,  
si etiam pro huius dispensatione concedenda  
Facultatem iam obtinuerit (1); accedentibus

(1) V. hujusmodi Facultatem superius sub N. XIII  
praesentis Appendicis.

tamen iustis iisque gravibus causis, et in urgentioribus Casibus, pro quibus tempus non suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem, et dummodo singulae Facultates, sive primitus ab eo obtentae sive ei renovatae, adhuc perdurent, et si agatur de Facultatibus pro certo casuum numero taxative eidem concessis, hunc numerum non excedat. Contra riis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis die et anno ut supra.

Loco ☧ sigilli

☩ D. Archiep. TYREN. Seqr. ius.

Gratis quocumque titulo.

## N. XV.

**FACULTATES OMNES EXTRA-  
ORDINARIAS,** quibus pollet Praefectus Apostolicus Patagoniae Meridionalis dispensandi cum Catholicis suae iurisdictioni subiectis circa impedimenta Matrimonium dirimentia, ex Rescripto S. Congr. de Propaganda Fide sub die 8 Aprilis 1888, ipse, Sacerdotibus in sua Praefectura laborantibus, communicare valet.

Prot. 1774.

BEAT. ME PATER,

32. Praefectus Apostolicus Patagoniae Meridionalis et Insulae vulgo « Terra del Fuoco » aliarumque adiacentium quo melius anima-

bus sibi commissis providere possit ad Pedes Beatitudinis Vestrae provolutus, humillime petit ut omnes Extraordinarias Facultates quibus pollet dispensandi cum Catholicis suaे iurisdictioni subiectis circa impedimenta Matrimonium dirimentia, Sacerdotibus in sua Praefectura laborantibus, communicare possit.

Ex Audientia SS.mi habita die 8 Aprilis 1888.

SS.mus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto Archiepiscopo TYREN. S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne adnuere dignatus est pro gratia iuxta preces; accidentibus tamen iustis iisque gravibus causis, et in urgentibus Casibus, pro quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, et dummodo singulae Facultates, sive primitus ab eo obtentae, sive ei renovatae, adhuc perdurent, et si agatur de Facultatibus pro certo Casuum numero taxative eidem concessis, hunc numerum non excedat.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis die et anno ut supra.

Loco ✠ sigilli.

✠ D. Archiep. TYREN. Secrius.

Gratis quocumque titulo.

N. XVI.

**FACULTAS Sacramentum Confirmationis Fidelibus administrandi, durante munere, eidem Praefecto Apostolico exclusive a Papa Leone XIII, die 29 Iulii 1888, concessa.**

*Prot. 4054.*

33. Ex Audientia Sanctissimi habita die 29 Iulii anni 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infra scripto Archiepiscopo Tyren. S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, *R.mo P. Iosepho Fagnano Praefecto Apostolico Patagoniae Meridionalis* Facultatem benigne concessit, durante munere, administrandi Catholicis eius Spirituali Iurisdictioni subiectis Sacramentum Confirmationis, adhibito tamen Chrismate ab Episcopo Catholico confecto, absque pontificalibus insignibus, et ad normam heic adiectae Instructionis S. Congregationis de Propaganda Fide editae die 4 Maii anno 1774 (1).

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis die et anno ut supra.

Loco ☩ sigilli

☩ *D. Archiep. TYREN. Secrius.*

Gratis quocumque titulo.

(1) V. huiusmodi *Instructio* in App. ad Rituale Romanum.

# APPENDIX IV

---

**FACULTATES**, quibus gaudent Missionarii Nostri in  
Vicariatu Apostolico Mendesin. et Gualaquiran.  
Reipublicae Aequatorialis, ex Rectoris Majoris vel  
eorum Superioris communicatione.

N. I.

## **Rescriptum concessionis.**

BEATISSIMO PADRE,

1. D. Michele Rua Rettore Maggiore della Pia Società Salesiana espone umilmente alla Santità Vostra che dovendo inviare alcuni suoi Religiosi come Missionarii ne' territorii di Mendez e Gualaquiza nella Repubblica dell'Equatore, stima necessario che i medesimi sieno forniti di quelle Facoltà, senza le quali non potrebbero esercitare a bene di quei popoli il loro Apostolico Ministero. Supplica pertanto la S. V. a voler loro accordare quelle che la S. Congreg. di Propaganda Fide suol concedere ai suoi Missionarii con la Form. IV ed inoltre il privilegio dell'Altare portatile per i luoghi, ove mancano Chiese e pubbliche Cappelle. Che ecc.

2. Ex audientia SS.mi, die 31 Maii 1892.

SS.mus Dominus Noster Leo Divina Pro-  
videntia Papa XIII, referente me infrascripto  
S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis ex-  
traordinariis praepositae Secretario, R. D.  
Michaëli Rua praedictae piae Societatis Mo-  
deratori potestatem fecit communicandi suis  
Sacerdotibus sacro ministerio in praefatis  
locis fungentibus, in totum vel in parte, o-  
mnibus et singulis vel eorum Superiori, prout  
magis in Domino expedire censuerit, Facul-  
tates in adnexa For. IV contentas, tam pro  
omnibus praedictis locis quam pro aliquibus  
ex illis: nec non, quatenus opus fuerit, re-  
vocandi, sive etiam moderandi tam circa il-  
larum usum quam circa loca et tempus.

Indulsit praeterea ut iidem Sacerdotes uti  
possint privilegio Altaris portatilis, ubi Ec-  
clesiae seu publica Oratoria desunt, servatis  
de iure servandis. Contrariis quibuscumque  
minime obiecturis.

Datum Romae e Secretaria eiusdem Sa-  
crae Congregationis, die, mense et anno praedictis.

Loco ☧ sigilli

FRANCISCUS SEGNA *Secretarius.*

(Gratis omnino).

N. II.

**FACULTATES  
concessae a SS. D. N. D.**

F. IV.

1. Dispensandi in quibuscumque Irregularitatibus, exceptis illis quae ex Bigamia vera vel ex Homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus casibus si praecisa necessitas Operariorum ibi fuerit, si tamen quoad homicidium voluntarium ex huiusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

2. Dispensandi et commutandi Vota simplicia etiam Castitatis ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis.

3. Absolvendi et dispensandi in quacumque Simonia; et in reali, dimissis Beneficiis, et super fructibus male perceptis iniuncta aliqua eleemosyna vel poenitentia salutari arbitrio Dispensantis, et etiam retentis Beneficiis si fuerint Parochialia, et non sint qui Parochiis praefici possint.

4. Dispensandi in 3º et 4º Consanguinitatis et Affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2º 3º et 4º mixtis, non tamen in secundo solo quoad futura Matrimonia; quod vero ad praeterita etiam in 2º solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab Haeresi vel Infidelitate convertuntur ad

Fidem Catholicam, et in praefatis Casibus Prolem susceptam declarandi legitimam.

5. Dispensandi super impedimento publicae Honestatis iustis ex sponsalibus proveniente.

6. Dispensandi super impedimentis Criminisneutro tamen Coniugum manu chinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum.

7. Dispensandi in impedimento Cognitionis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

8. Hae vero dispensationes Matrimoniales videlicet 4<sup>a</sup> 5<sup>a</sup> 6<sup>a</sup> et 7<sup>a</sup> non concedantur nisi cum clausula: dummodo mulier rapta non fuerit, vel si Rapta fuerit, in potestate Raptoris non existat; neque in utroque foro ubi erunt Episcopi, sed in foro conscientiae tantum, et in illis expediendis tenor huiusmodi Facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.

9. Dispensandi cum Gentilibus et Infidelibus plures uxores habentibus ut post conversionem et baptismum, quam ex illis manuerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

10. Absolvendi ab Haeresi et Apostasia a Fide et a Schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos tam saeculares quam regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum in quibus impune grassantur Haereses deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune

grassantur Haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in Haeresim fuerint relapsi, et hos in foro Conscientiae tantum.

11. Absolvendi ab omnibus Censuris etiam speciali modo in Bulla *Apostolicae Sedis moderationi* (V. Artic. 16 For. I) diei 12 Octobris 1869 Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione Complicis in peccato turpi.

12. Benedicendi Paramenta et alia utensilia pro Sacrificio Missae.

13. Recitandi Rosarium vel alias preces si Breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

14. Reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo, et huiusmodi Facultatem communicandi similibus Sacerdotibus.

15. Consecrandi Calices, Patenas et Altaria portatilia cum oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas, vel sedes vacet.

16. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu Carnium, Ovorum et Lacteiniorum tempore Ieiuniorum et Quadragesimae, non tamen per generale Indultum sed in casibus particularibus.

17. Celebrandi bis in die si necessitas urget, ita tamen ut in prima Missa non sumperserit ablutionem, per unam horam ante auroram et aliam post meridiem in Altari por-

tatili, sine ministro, sub dio et sub terra in loco tamen decenti, etiamsi Altare sit fractum vel sine Reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, dummodo minister non sit haereticus aut excommunicatus, ac aliter celebrari non possit. Huiusmodi autem Facultate bis in die celebrandi nullatenus uti liceat, nisi rarissime et ex gravissimis et urgentissimis causis, in quo graviter eius conscientia oneratur. Quod si ad praesens aut in posterum quandocumque aderit Episcopus aut Vicarius Generalis aut Capitularis, sive Vicarius Apostolicus, ad cuius Dioecesim seu administrationem pertineant loca ubi secundo celebrari contigerit, praefata Facultas bis celebrandi nullius prorsus sit roboris ac momenti, nisi prius praedicto Episcopo, aut eo absente, ipsius Vicario Generali aut respective Capitulari aut Vicario Apostolico fuerit exhibita, ab eoque examinatae et approbatae fuerint in scriptis caussae ea utendi, nec aliter concessa intelligatur quam iuxta moderationem ab ipso apponendam et non alias; cuius Episcopi seu Vicarii conscientia oneratur ut nonnisi ex urgentissimis causis, ut supra dictum est, et ad breve tempus ea uti permittat. Quam tamen Facultatem poterit Episcopus seu Vicarius, si in Domino visum fuerit expedire, ad aliud breve tempus pluries et eadem servata forma prorogare, intra tempus in hac Facul-

tate a Sancta Sede concessum et non ultra. Id ipsum autem prorsus servetur ab iis quibus haec eadem Facultas celebrandi bis in die iuxta potestatem inferius apponendam communicata fuerit, adeo ut nemo ex ipsis nisi iuxta moderationem ab Episcopo vel eius Vicario Capitulari vel Generali, seu Vicario Apostolico, ut dictum est, singulis apponendam huiusmodi Facultate uti valeat, iniuncto eorumdem Episcoporum seu Vicariorum conscientiae, ut ultra superius dicta, non omnibus indifferenter quibus fuerit communicata, sed paucis dumtaxat iisque maturioris prudentiae ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad breve tempus, ut dictum est, Facultatem quoad hoc communicatam approbet.

18. Concedendi Indulgentiam Plenariam primo Conversis ab Haeresi, atque etiam Fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

19. Concedendi Indulgentiam Plenariam in Oratione 40 Horarum ter in anno indicenda diebus Episcopo bene visis, contritis et confessis et sacra Communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione Sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab Haereticis et Infidelibus, aut a Magistratibus offensum iri.

20. Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

21. Singulis secundis Feriis non impe-

ditis Officio 9 Lectionum, vel eis impeditis die immediate sequenti, celebrando Missam de requiem in quocumque Altari etiam portatili liberandi animas secundum eius intentionem a Purgatorii poenis per modum suffragii.

22. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad Infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.


23. Induendi vestes saeculares, si aliter vel transire vel permanere non poterit in locis Missionum.

24. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam iis Missionariis quibus in Domino sibi expedire videbitur, libros Haereticorum vel Infidelium de eorum religione tractantium, ad effectum eos impugnandi in scriptis vel in voce, et aliquos quomodolibet prohibitos, praeter opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, Historiam civilem Regni Neapolis Petri Giannone, Poëma inscriptum « La Puçelle d'Orleans » et librum cui titulus « De l'Esprit, Istruzioni intorno la S. Sede tradotta dal francese 1765 », Oeuvres philosophiques de Monsieur de la Metrie, Le Colimaçons, Abrégé de l'Histoire Ecclesiastique sub mentito nomine Fleury, Riflessioni d'un Italiano sopra la Chiesa in generale, Systeme de la Nature, il vero dispotismo Londra 1770, la Raison par Alpha-

bet, et Ioannis Laurentii Isembielli novum Tentamèn in Prophetiam de Emmanuele; Histoire Critique de Jesus Christ, Nouaux Mélanges Philosophiques Historiques Critiques, nec non Libellum cui titulus: « Universalis Professio Fidei omnium Religionum,» ac Eybel de Auricolari Confessione 1784, et alterum eiusdem auctoris inscriptum « Quid est Papa? » ac libros de Astrologia Iudiciaria principaliter aut incidenter vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex ipsis Provinciis non efferantur.

25. Administrandi omnia Sacraenta etiam Parochialia, Ordine et Confirmatione exceptis, et quoad Sacraenta Parochialia in Dioecesisibus ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii aut eorum Vicarii, vel in Parochiis ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt de eorum licentia.

26. Et praedictae Facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur, et durante munere tantum concessae intelligantur.



# APPENDIX V

---

## De Irregularitatibus.

### § I.

#### Quoad varias Irregularitatum species.

*Irregularitas est impedimentum canonicum ad Ordines, et Beneficia licite suscipienda, et eorum functiones obeundas.* Huiusmodi autem impedimentum nasci potest ex duobus capitibus, nempe ex delicto, et ex defectu. Hinc Irregularitates aliae dicuntur ex delicto, aliae ex defectu.

1. EX DELICTO. Delicta ex quibus oritur Irregularitas sunt sequentia: 1º Ex Homicidio; 2º Ex Mutilatione; 3º Ex iteratione Baptismatis; 4º Ex indebita Ordinum susceptione; 5º Ex violatione Censurae; 6º Ex Haeresi et Apostasia a Fide; 7º Denique ex Infamia.

*Primo, ex Homicidio,* Irregularitas oriri potest triplici modo, scilicet ex Homicidio voluntario, casuali et dubio (1). In hanc Irregularitatem incidunt etiam mandantes, consulentes et cooperantes.

*Secundo, ex Mutilatione,* idest ex mutilatione

(1) Intellige de homicidio, quod certe commissum sit, sed dubitatur a quonam praecise commissum sit.

proprie dicta, iniusta et voluntaria, etiamsi membrum, quod obtruncatur, sit exsiccatum (1).

*Tertio, ex iteratione Baptismatis.* Adultus scienter rebaptizatus, rebaptizans, et Acolythus ministrans: insuper qui extra necessitatem recipit Baptismum ab Haeretico declarato, vel differt Baptismum usque ad mortis periculum, est etiam irregularis.

*Quarto, ex illicita susceptione Ordinum.* Qui post Matrimonium, etsi non consummatum, Ordines Sacros recipiunt; qui furtive ordinantur; qui sine Episcopi dispensatione eodem die plures Ordines recipiunt, quorum unus est Sacer; Clericus ministrans solemniter in Ordine Maiore, quem non habet (2); qui Censura ligatus Ordinem Sacrum recipit; qui per saltum, vel ante legitimam aetatem,

(1) Qui obtruncat partem membra, puta digitum, non est irregularis. Si tamen sibi ipsi hoc faciat, est irregularis, non ratione mutilationis, sed sevitiae.

(2) Hinc irregularis fit Presbyter, qui Sacras Functiones exercet, vel Benedictiones exclusive reservatas Episcopo, v. gr. consecrationem Calicis, Ecclesiae etc., quia exclusive attribuuntur Episcopis canonico iure, ut actus proprii Ordinis Episcopalis. Item Diaconus, qui solemniter populo benedicit; vel Baptismum solemnem etiam casu necessitatis, citra delegationem confert: Subdiaconus qui solemniter defert Pyxidem continentem Eucharistiam, aut Evangelium cantat intra Missarum solemnia, more Diaconorum. Sacerdos autem simplex excipiendo Confessiones non fit irregularis, quia exercet actum Ordinis quam habet, licet careat iurisdictione; attamen, extra casum mortis periculi, gravissimum sacrilegium admittit ac nulliter agit.

vel ab Episcopo non proprio, vel a proprio, sed suspenso, vel haeretico, schismatico, aut simoniaco, ordinatur. (V. S. ALPH. L. VII, n. 357 et seq.)

*Quinto, ex violatione Censurae.* Qui Censura irretitus exercet actum Ordinis Maioris cum culpa mortali (1), vel celebrat in loco interdicto (2).

*Sexto, ex Haeresi et Apostasia a Fide* (3). Hanc Irregularitatem incurrunt etiam Haereticorum et Apostatarum fautores, receptores, defensores, imo et ipsorum filii usque

(1) Id est *scienter et solemniter*, ut si Diaconus cantet Evangelium cum stola et manipulo; vel Canonicus fungens officium hebdomadarii, in choro cantet *Dominus vobiscum*; vel Sacerdos Missam celebret, Sacra menta conficiat, etc., et Sacerdos qui cogeret censuratum ad celebrandum. Ubi notandum: Qui duplice ligatus Censura exercet Ordinem Sacrum, etsi non incurrit duplē Irregularitatem, unam tamen incurrit duplice aequivalentem et ideo in petitione dispensationis id est exprimendum. Idem dicendum est de eo, qui cum eadem Censura pluries celebrat. Sed sufficit, ut in numero plurali exprimatur postulatio. Item irregularis fit Sacerdos, qui ab Ordine suspensus, sacramentaliter absolvit; quia absolvere est etiam actus potestatis Ordinis, non vero actus solius iurisdictionis, qualis esset v. gr. actus excommunicandi, Confessarios approbandi, assistendi Matrimonio, a Votis dispensandi, etc. Ex hoc colligitur quod irregularis libere exercere potest actus merae iurisdictionis, quia ista non privatur.

(2) Non autem in Ecclesia polluta; quia sic non violatur Censura, sed tantum directe violatur prohibitio Ecclesiae.

(3) Haec autem crima, ut Irregularitatem inducant, debent esse publica: Hinc Irregularitas ista in Irregularitatem *ex defectu bonae famae* recidit, ut ait S. Alph. Lib. VII, n. 362,

ad secundam generationem; et si fuit mater sola haeretica, tunc eius filii usque ad primam tantummodo generationem.

*Septimo, ex Delicto ratione Infamiae* sunt illi, qui committunt aliquod crimen afferens infamiam, sive iuris, sive facti (1).

2. EX DEFECTU. Irregularitates, quae oriuntur ex defectu sunt octo, nempe: 1º Ex defectu Animae; 2º Ex defectu Corporis; 3º Ex defectu natalium; 4º Ex defectu aetatis; 5º Ex defectu libertatis; 6º Ex defectu lenitatis; 7º Ex defectu Sacramenti; 8º Ex defectu bonae famae.

*Primo, ex defectu Animae,* sunt irregulares amentes, lunatici, furiosi, epileptici et energumeni, etsi lucida intervalla habeant; nec non illiterati, et neophiti (2).

(1) Sunt aliqua delicta, quibus a iure adnexa est infamia, puta Sodomia, Adulterium, Concubinatus, Homicidium, Periurium factum in Iudicio, Simonia, Haeresis, Crimen laesa maiestatis. Proditio, Rapina, Lenocinium, idest turpis quaestus ex adulterio uxoris, Invasio Episcoporum vel Cardinalium, Raptus mulierum, Duellum, armorum paratio in parentes etc. Non incurritur tamen Irregularitas, nisi haec crimina sint vere notoria; secus enim fama non deficit. Excipe Homicidium, propter quod incurritur, quamvis occultum. Si quis igitur haec committat, et crimen fit notum per publicam famam, evadit infamis *infamia facti*. Si vero crimen reus ipse confiteatur in iudicio, vel adest sententia iudicis, saltem criminis declaratoria, reus evadit infamis *infamia iuris*. Insuper infamia iuris oritur etiam ex poena inficta graviter infamante, uti damnatio ad triremes etc. (V. S. Alph. L. VII, n. 362-364).

(2) Neophiti sunt, qui recenter ad fidem conversi in adulta aetate Baptismum recipiunt; et non convenit, ut fiant magistri qui vix didicerunt esse discipuli. Pos-

*Secundo, ex defectu Corporis, sunt illi, quibus deest aliquod membrum, vel membra officium, ut non possint bene officium exequi, sicut etiam nimis deformes; huiusmodi sunt generis: mutilati, caeci, surdi, muti aut balbutientes, claudi, carentes manu, vel digitis omnibus, vel pollice aut indice uti non valentes; carentes corporis membro, v. gr., naso, aut enormiter distortum, demissum, aut productum habentes, vel auriculis, nisi tamen satis tegantur capillis, gibbosi, leprosi, monstruosi, ut gigantes, pigmaei, et apud Nos in Europa Ætiopes; Hermaphroditae et Eunuchi etc.*

*Tertio, ex defectu Natalium, Illegitimi, dummodo non sint legitimati per subsequens Matrimonium (1); filii eorum qui damnati sunt ob delictum laesae maiestatis; filii ex meretrice; et filii, ac nepotes haereticorum, modo tamen notorium sit parentes fuisse haereticos, et in haeresi decessisse (2).*

*Quarto, ex defectu Aetatis, qui nondum haberent aetatem a iure canonico requisitam ad Ordines (3).*

sunt tamen isti ordinari, postquam bene in moribus profecerint per tempus iudicio Episcopi definiendum.

(1) Utrum expositi censendi sint irregulares, quaestio; in Epistola tamen *Redditæ* Benedicti XIV hoc negatur.

(2) Isti sunt Irregulares ex Infamia Parentum; requiritur tamen, ut nati sint post delictum, ut advertit S. Alphonsus; secus non censentur irregulares.

(3) Verum haec non est Irregularitas stricta, cum cesseret per se, adveniente aetate. Qui tamen ante ca-

*Quinto, ex defectu Libertatis, Uxorati, Curiales*; ut sunt iudices, advocati, magistratus etc., quamdiu in officio perdurant; nisi licentiam a Summo Pontifice obtinuerint, vel legitima sit consuetudo: *Milites et reipublicae Administratores*, donec iidem officio consentiente principe valedixerint; et *Servi proprie dicti*, donec plenam consequantur libertatem.

*Sexto, ex defectu Lenitatis*, qui occidunt in bello iusto offensivo, qui voluntarie, et proxime concurrunt, etsi iuste, ad mortem, vel ad mutilationem alterius; Clerici chirurgiam exercentes cum adustione vel incisione.

nonicam aetatem ordinatur, graviter peccat, cum violet praeceptum grave. Aetas autem a Sacris Canonibus requisita ad legitimam susceptionem Ordinum haec est: 1<sup>o</sup> Pro prima Tonsura et Ordinibus Minoribus nulla in iure assignatur aetas; solent tamen conferri (ait Benedictus XIV) ab anno 7 ad 14); 2<sup>o</sup> Pro Subdiaconatu statuitur annus 22; 3<sup>o</sup> Pro Diaconatu 23, pro Sacerdotio 25 ex Concilio Tridentino. Sufficit vero ut annus praescriptus sit incoepitus; et est computandus nou a Baptismate, sed a nativitate, ex S. Congregatione Concilii. Dispensare super aetate reservatur uni Sommo Pontifici, qui non nisi pro Sacerdotio id indulgere solet, si adsit causa; et causa sufficiens est penuria vel inopia Operariorum in vinea Domini.

Pro obtainenda vero dispensatione super aetate a Sacris Canonibus statuta ad suscipiendum legitimate Sacrum Presbyteratum recursus haberi potest ad Sacras Congregationes vel Memorialium, vel Concilii cum attestatione tamen vel *Commendatitia* proprii Superioris, vel Ordinarii, quae facultatem habent dispensandi in aetate usque ad 20 menses cum dimidio. (V. S. Alphon., Lib. VI, n. 799; et Delvecchio Tom. II, n. 823).

*Septimo, ex defectu Sacramenti, omnes Bigami* (1).

*Octavo, ex defectu bonae Famae, sunt qui infames habentur ob sententiam Iudicis competentis, aut ex notorietate alicuius criminis enormis, vel per exercitium artis ignominiosae, et ex crimine Parentum* (2).

§ II.

**Quoad dispensationem in Irregularitatibus ex delicto et ex defectu provenientibus.**

1. In praefatis omnibus Irregularitatibus *ex delicto* provenientibus, si delictum est publicum dispensare potest solum Summus Pontifex; si est occultum Episcopus, et ex privilegio etiam Regulares, excipe Homicidium voluntarium, in quo semper dispensare debet Summus Pontifex, licet sit occultum (3). Irregularitates vero, quae oriuntur ex *Infamia facti*, tolluntur per constantem vitae emendationem, quae saltem per triennium perseveret (4), vel etiam per mutationem loci.

(1) Quid et quotuplex sit *Bigamia*, V. S. Alphonsum, Lib. VII, n. 436-448; et in Append. III sub N. III in adnot. ad n. 2, pag. 129.

(2) V. quae adnotavimus superius § I, n. 1, in *septimo*, pag. 176, praesentis Appendixis.

(3) V. tamen, quae habuimus sub Cap. I, § IV, pag. 25-27.

(4) In Irregularitate, quae oritur ex haeresi occulta, dispensare potest etiam Episcopus. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate contracta ob usur-

2. Summus Pontifex potest dispensare in omnibus Irregularitatibus *ex defectu*, quae scilicet iure humano tantum sunt inductae. Episcopus vero absque speciali Indulto Apostolico potest solum dispensare in Bigamia *similitudinaria*, etsi fuerit publica, dummodo Matrimonium non sit attentatum cum vidua, vel corrupta. Potest etiam dispensare cum illegitimis, sed tantum ad Ordines Minores, et ad Beneficium simplex (1). Professio Religiosa tollit Irregularitatem natalium quoad Ordines, sed non quoad Dignitates in Religione; et per Baptismum tollitur Irregularitas *ex defectu lenitatis*. Generatim Praelati Regulares cum suis Subditis dispensare possunt in Irregularitatibus, sive ex Delicto, sive ex Defectu provenientibus, sicut Episcopi cum suis Dioecesanis. (*V. adnot. ad §§ IV, pag. 25-26*).

§ III.

**Circa formam dispensandi in Irregularitatibus.**

1. Quoad dispensationem ab Irregularitate nulla forma invenitur praescripta in iure; unde nulla determinata necessario adhibenda

pationem Ordinum; sed tantum, ut irregularis possit in susceptis ministrare. Adverte quod omnis Irregularitas *ex delicto* tollitur per Baptismum.

(1) Notandum quod Praelatus, si admittat quemdam ad Ordinem vel ad Beneficium, quem scit irregularem, censetur cum eo dispensare.

est. Fieri autem potest dispensatio a Confessario facultatem habente hac formula Ritualis, post datam absolutionem a peccatis: *Et eadem auctoritate dispenso tecum super Irregularitate (vel Irregularitatibus), in quam (vel in quas) ob talem causam (vel ob tales causas) incurristi: et habilem reddo et restituto te executioni Ordinum et officiorum tuorum.* In nomine Patris,  et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Si dispensandus caret Ordine, dicat: *Habilem reddo vero te ad omnes Ordines suscipiendos.*

2. Denique notandum est quod cum Irregularitas non sit Censura, ideo quilibet Confessarius, seclusa peculiari prohibitione et reservatione, absolvere potest a Peccatis habentibus adnexam Irregularitatem, sive ob quae est incursa Irregularitas; nam Irregularitas adiuncta non impedit effectum absolutionis; quia non pugnat cum statu gratiae, nec arcet a Sacramentis, excepto Ordine. Potest igitur quis liberari a peccato, et simul remanere ligatus Irregularitate eidem peccato adnexa.



# APPENDIX VI

---

INDULGENTIAE, quas Summus Pontifex, vel ab eo Delegatus benedicendo Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, MEDAGLIE vulgo nuncupata, impertitur Cristifidelibus, qui secum habentes, vel apud se retinentes aliquod ex praefatis, infrascripta pia Opera implebunt.

1. Utriusque sexus Christifideles in primis admonitos vult Sanctitas Sua, ut quis consequi valeat Indulgencias, quas in praefata Benedictione concedit, necessario requiri aliquod ex enunciatis Numismatibus, Coronis etc. secum habere, aut apud se retinere.

2. Item orationes, devotasque preces infra scriptas, uti conditiones pro Indulgentiarum consecutione requisitas, unumquemque teneri recitare, vel secum deferendo Coronam, Crucifixum etc., vel si quis secum non habeat, eadem in cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis retinere, et coram eis respectivas preces recitare debet.

3. Praeterea ab huiusmodi Benedictione Sanctitas Sua reiicit Imagines sive impressas sive depictas, necnon Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, vulgo *Medaglie* nuncupata, quae ex stanno, plumbo, vel ex

fragili alia materia, facilisque consumptionis conficiuntur.

4. Vult denique Sanctitas Sua Imagines et Icones benedicendas repraesentare Sanctos vel iam canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

5. His pro clariori intelligentia praenotatis, Indulgentiarum series , quas quis consequi potest, nec non piorum operum implendorum elenchus recensetur, prout infra, videlicet:

6. Quicumque semel in singulas hebdomadas Coronam Domini, aut Beatissimae Virginis, vel Rosarium, eiusque tertiam partem, aut Officium sive divinum sive parvum eiusdem Beatissimae Virginis vel Defunctorum, aut septem Psalmos Poenitentiales vel Graduales recitatib; aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicuius domus hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire , aut Missam audire , vel, si Sacerdos est, celebrare consuevit, si vere poenitens, et Sacerdoti per Ordinarium approbato confessus sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus festis Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi; tum diebus Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis Beatae Mariae Virginis, nec non diebus Nativitatis S. Ioannis Baptiste, San-

ctorum Apostolorum Petri et Pauli, Andreeae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae, Sancti Iosephi Sponsi B. Mariae Virginis, atque omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro haeresum atque schismatum extirpatione, Fidei Catholicae propagatione, pace et Christianorum Principum concordia, ceterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus, in unoquoque praefatorum dierum, *plenariam Indulgentiam* consequetur.

7. Qui eadem in aliis Festis Domini, aut B. Virginis Mariae peregerit, in quolibet eorum participet *Indulgentiam septem annorum*, ac *totidem quadragenarum*: qui vero quavis Dominica vel alio anni Festo, *Indulgentiam* quinque annorum totidemque quadragenarum. Qui demum in alio quocumque anni die ea praestabit, *Indulgentiam centum dierum*.

8. Quicumque saltem semel in hebdomada recitare consuevit Coronam aut Rosarium aut Officium B. Mariae Virginis vel Defunctorum, aut Vespertas, vel unum saltem ex Nocturnis, et Laudes, aut septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, earumque precibus, quo die id egerit, *Indulgentiam centum dierum* acquiret.

9. Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere poenitens, con-

fessus ac sacra Communione refectus, si valeat, alioquin contritus nomen IESU ore, si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam *Indulgentiam* consequetur.

10. Quicumque ante Missae celebrationem, vel sumptionem Eucharistiae, aut recitationem Divini Officii vel Parvi B. Mariae Virginis, aliquam devotam praeparationem praemiserit, *quinquaginta dierum Indulgentiam*, qualibet vice id egerit, percipiet.

11. Qui detentos in carcere, aut aegrotos in Nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adiuvando, aut Doctrinam Christianam in Ecclesia vel domi filios aut propinquos aut famulos docuerit, toties *Indulgentiam biscentum dierum* consequetur.

12. Qui ad pulsum campanae alicuius Ecclesiae mane aut meridie aut vespere consuetas preces *Angelus Domini* etc. dicet, vel si eas ignoret, semel *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam*, vel dato signo sub horam noctis orandi pro Defunctis Psalmum *De Profundis*, aut si hunc nescit, *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* recitatibus, *centum dierum Indulgentiam* qualibet vice adipiscetur.

13. *Eamdem* pariter consequetur *Indulgentiam* qui Feria sexta devote cogitaverit de Passione ac Morte Domini Nostri Iesu Christi, terque *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* recitaverit.

14. Quisquis vere poenitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat, ter *Oratione Dominica et Angelica Salutatione* devote repetitis in honorem Sanctissimae Trinitatis, et ob reverentiam quinque Vulnerum Iesu Christi *quinquies* devote eamdem *Orationem* et *Salutationem* recitet, *eamdem Indulgentiam* consequetur.

15. Omnes et singulas antedictas Indulgencias unusquisque memoratis diebus poterit aut pro seipso adipisci, aut Fidelibus defunctis per modum suffragii applicare.

16. Declarat insuper Sanctitas Sua concessione praefata Indulgentiarum nullo modo derogari Indulgentiis, quas alii Summi Pontifices Praedecessores iam concessere nonnullis ex supra indicatis piis Operibus, volens easdem suorum Praedecessorum concessiones in suo robore permanere.

17. In distribuendis autem huiusmodi Coronis, Crucibus etc. earumque usu Sanctissimus Dominus Noster servari iubet *Decretum fel. record. Alexandri VII*, editum *sub die 6 Februarii* 1657, nimirum, ut Coronae, Cruces, Rosaria etc. ut supra benedicta, quoad Indulgencias non transeant personam illorum, quibus concessa sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera ullo modo possit, quacumque concessione aut privilegio in contrarium non obstante; nec non eadem commodari, aut precario dari non pos-

sint pro Indulgentiarum communicatione, a-  
lioquin amittant Indulgentias iam concessas:  
tum etiam praefata post Pontificiam Bene-  
dictionem vendi non possint, iuxta disposi-  
tionem *Decreti Sacrae Congregationis Indul-  
gentiarum et Sacrarum Reliquiarum editi die  
5 Iunii 1721.*

18. Insuper Sanctitas Sua confirmat Decre-  
tum *fel. record. Benedicti XIV* datum die 19  
*Augusti 1752*, quo expresse declarat Missas  
ad Altare (in quo aliqua ex praefatis sive  
Crucifixi sive Numismatis Imago quoquo modo  
collocata fuerit) lectas, sive a Sacerdote hu-  
iusmodi Imaginem secum habente celebratas,  
vigore dictae Imaginis nullo prorsus gaudere  
privilegio.

19. Praeterea vetat ne quisquam, quem in-  
firmis morti proximis assistere contigerit, Be-  
nedictionem cum Indulgentia Plenaria in ar-  
ticulo mortis, vigore huiusmodi Imaginis, illis  
impertiri audeat sine speciali facultate in  
scriptis obtenta, quoniam ad huiusmodi ef-  
fectum in Constitutione *Benedicti XIV* inci-  
pien. *Pia Mater*, satis provisum iam fuit.



# APPENDIX VII

---

**FACULTAS impertiendi Benedictionem cum Indulgentia  
Plenaria Christifidelibus in locis Missionum in Mortis  
articulo constitutis.**

1. Ne Christifidelibus in locis Missionum in qualibet Orbis parte degentibus, et in ultimo vitae discrimine constitutis, ea spiritualia auxilia desint, quae Catholica Pia Mater Ecclesia Filiis suis a saeculo recedentibus, solet misericorditer impertiri: Sanctissimus Dominus Noster Clemens Divina Providentia Papa XIV, me infrascripto Secretario Sacrae Congreg. de Propaganda Fide, referente in Audientia habita die 5 Aprilis 1772, pro eximia caritate, qua illos paterne complectitur, omnibus et singulis RR. PP. DD. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Apostolicis, nec non RR. Praefectis, seu Superioribus Missionum tam Cleri Secularis, quam Regularis in locis Missionum ut supra modo existentibus, seu quocumque tempore extituris, peramanter concedit Facultatem impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus praedictis, ad extremum agonem redactis: cum ea etiam extensione, ut Facultatem huiusmodi Sacerdotibus,

et respective Missionariis, eorum iurisdictioni subiectis, pro locis tamen suarum Dioecesium, vel pro Missionum Districtibus tantum communicare possint, et valeant: dummodo in hac Benedictione impertienda servetur formula praescripta a s. mem. Benedicto XIV in Constitutione data 9 Aprilis 1747, quae incipit *Pia Mater inferius registranda.*

Quoniam autem facile continget, ut aliqui ex praedictis Christifidelibus ex hac vita decedant, quin Ecclesiae Sacramentis fuerint muniti, et absque Sacerdotis cuiuslibet assistentia: ideo Sanctitas Sua, ex ubere Apostolicae benignitatis fonte, etiam illis Plenariam Indulgentiam elargitur, si contriti nomen JESU, corde saltem, invocaverint, et mortem de manu Domini, ea qua decet, Christiana animi dimissione, et spiritus humilitate susceperint, animamque in manus Creatoris sui commendaverint. Quae postrema Decreti pars, ut Christifidelibus omnibus innotescat, eam in suis Dioecesibus ac Missionibus, Antistites, et Superiores memorati identidem, et praesertim sanctae visitationis tempore publicare current, ac satagant.

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis praedictae, die 5 Aprilis 1772.

STEPHANUS BORGIA

*Sac. Congr. de Prop. Fide Secretarius.*

**MODUS a S. M. Benedicto XIV approbatus, et pro opportunitate temporis servandus, ut infra Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo Mortis Constitutis, ab iis, qui Facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.**

2. *Benedictio in Articulo Mortis cum soleat impertiri post Sacraenta Poenitentiae, Eucharistiae, et extremae Unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae, ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur est omnino deneganda.*

*Habens praedictam Facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi iacet Infirmus, dicat: Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea, ac deinde Aegrotum, cubiculum, et circumstantes asperget Aqua benedicta, si commode haberipotterit, dicendo Antiphona: Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.*

*Quod si Aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis: de huius benedictionis efficacia ac virtute, si*

*tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat,  
atque hortetur ut morbi incommoda, ac dolores  
in anteactae vitae expiationem libenter perfe-  
rat, Deoque se paratum offerat ad ultro acce-  
ptandum quidquid Ei placuerit, et mortem ipsam  
patienter obeundam in satisfactionem poenarum,  
quas peccando promeruit. Tum piis ipsum ver-  
bis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex di-  
vine munificentiae largitate eam poenarum re-  
missionem, et vitam sit consecuturus aeternam.  
Postea dicat:*

ŷ. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

r). Qui fecit coelum et terram.

*Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta  
Famuli tui (vel Ancillae tuae), neque vindi-  
ctam sumas de peccatis ejus.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie elei-  
son. Pater noster etc.

ŷ. Et ne nos inducas in temptationem,

r). Sed libera nos a malo.

ŷ. Salvum fac Servum tuum (vel Ancillam  
tuam),

r). Deus meus, sperantem in te.

ŷ. Domine, exaudi orationem meam,

r). Et clamor meus ad te veniat.

ŷ. Dominus vobisecum,

r). Et cum spiritu tuo.

### OREMUS.

Clementissime Deus, Pater misericordia-  
rum, et Deus totius consolationis, qui ne-

minem vis perire in te credentem, atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius Famulum tuum N., quem (*vel* Ancillam tuam N., quam) tibi vera Fides, et Spes Christiana commendant. Visita eum (eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui Passionem et Mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge; ut eius anima in hora exitus sui Te Iudicem propitiatum inveniat, et in Sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. R). Amen.

*Tum dicto a Clerico, si praesens sit, vel ab ipso Sacerdote Confiteor, idem Sacerdos prosequatur:*

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen.


Dominus Noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi; per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam Plenariam, et remissionem omnium

peccatorum tibi concedo. In nomine Patris,  
☩ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis Mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis, et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, ☩ et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

*Si vero Infirmus sit adeo morti proximus, ut omnium praemissarum precum recitandarum tempus non suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.*



# APPENDIX VIII

---

## RITUS ET FORMULA Solemnis Benedictionis Apostolicae seu Papalis.

*Ritus et formula a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis pro impertienda benedictione, una cum Plenaria Indulgentia post Missarum solemnia, triplici signo Crucis emissio, et in Episcopali throno, cum Mitra, caeterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus ministris, adhibendus, quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, talis esse debet.*

*Expleta in utraque solemnitate Missae solemnis celebratione, in primis alta voce, per ministrum superpelliceo indutum, legantur Litterae Apostolicae, quibus Indulgentia Plenaria conceditur una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstantibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam, translata recitetur. Postea Episcopus, surgens, iuxta ritum in Caeremoniali Episcoporum expressum, dicet:*

Precibus et meritis Beatae Mariae semper Virginis, Beati Michaëlis Archangeli, Beati Ioannis Baptiste, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et di-

missis omnibus peccatis vestris, perducat vos  
IESUS CHRISTUS ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem  
omnium peccatorum vestrorum, spatium ve-  
rae et fructuosa poenitentiae, cor semper  
poenitens et emendationem vitae, perseve-  
rantiam in bonis operibus, tribuat vobis o-  
mnipotens et misericors Dominus. R. Amen.

Et Benedictio Dei omnipotentis PATRIS,  
et FILII, et SPIRITUS SANCTI descendat  
super vos, et maneat semper. R. Amen.

*Demum, post impertitam Benedictionem, pu-  
blicatur latino et vernaculo idiomate concessio  
Plenariae Indulgentiae, sequenti Formula :*

Attentis facultatibus a SS.mo in Christo  
Patre et Domino Nostro, Domino Leone, Di-  
vina Providentia, Papa XIII, in enunciatis  
Apostolicis Litteris expressis, datis Re-  
verendissimo Domino, Domino N., Dei et Apo-  
stolicae Sedis gratia, huius Sanctae N. Ec-  
clesiae Antistiti (1); eadem Dominatio sua  
reverendissima, Summi Pontificis Nomine,  
dat et concedit omnibus hic praesentibus,  
vere poenitentibus et confessis, ac sacra  
Communione refectis, INDULGENTIAM PLE-  
NARIAM in forma Ecclesiae consueta. Rogate  
igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Do-  
mini Nostri PAPAE, Dominationis suae re-  
verendissimae, et Sanctae Matris Ecclesiae.

(1) *Loco N. N... dicatur:* Ioanni, Dei et Apostolicae  
Sedis gratia, titulari Magydensi Episcopo et huius  
Regionis Vicario Apostolico; eadem etc.

# APPENDIX IX

---

N. I.

**INDULTUM utendi Calendario Ro-  
mano pro omnibus Sodalibus No-  
stris in America Meridionali degen-  
tibus.**

Ex Audientia Sanctissimi, die 27 Augu-  
sti 1887.

Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII, au-  
dita infrascripti Card. Protectoris relatione,  
annuit benignissime, ut universis Missiona-  
riis Salesianis in America Meridionali degen-  
tibus, liceat uti Kalendario Romano, ad  
instar Sodalium Patagoniam, Missionis cau-  
sa, incolentium.

L. M. Card. PAROCCHI *Protector.*



N. II.

**INDULTUM pro Nostris Sociis in  
Patagonia degentibus celebrandi Fe-  
stum Patroni S. Francisci Salesii  
die 29 Januarii, etiamsi occurrat  
Anniversarium Dedicationis Eccle-  
siae ejusdem Regionis. (1).**

CONGREGATIONI SALESIANAE

SS.mus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, ad humillimas enixa-sque preces Reverendissimi Domini Ioannis Cagliero Pro-Vicarii Apostolici Patagoniae, quae Congregationi Salesiana commissa est, benigne indulxit, ut Festum Sancti Francisci Salesii Episcopi Confessoris et Ecclesiae Doctoris ab Alumnis ipsius Congregationis, in praefata Regione degentibus,

(1) Hoc ipso Indulto gaudent quoque ceteri Missionarii Nostri in Republica Argentina degentes. In aliis vero Regionibus possunt idem Festum S. Francisci Salesii celebrare in omnibus Ecclesiis Oratoriisque Nostris, canendo scilicet unicam Missam solemnem de eodem Sancto, etiam quando incidit in Dominicam privilegiatam Septuagesimae, vel Sexagesimae, aut quinquagesimae, vel aliam quamcumque diem, dummodo non occurrat Duplex Prima Classis, neque omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi onus adsit. (Ex Decreto S. Rituum Congregationis, die 29 Februarii 1888).

recoli valeat die 29 Ianuarii, etiamsi a reliquo Clero illius Vicariatus ea die celebretur Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ: Servatis ceterum Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 10 Ianuarii 1884.

Loco ☧ sigilli.

D. Card. BARTOLINIUS S. R. C. Praef.  
LAURENTIUS SALVATI S. R. C. Secret.

NOTA. 1. — *Advertant Missionarii, vel quorum interest, Facultates sive AD TEMPUS, sive AD DETERMINATUM CASUUM NUMERUM, ab Apostolica Sede sibi concessas opportune renovandas esse.*

2. — *Quoad cetera Privilegia, Facultates, Indulgentias etc., quibus generatim gaudet Nostra Pia societas, V. Compendium Facultatum et Gratiarum Spiritualium etc. novissime exaratum.*



# INDEX GENERALIS

---

CAPUT I. — <i>De Absolutionibus, sive de Facultatibus absolvendi et dispensandi, quibus generatim gaudent Confessarii Nostri Missionarii in America degentes durante munere,</i> pag.	7
§ I. — Regulae generales . . . . .	» ibi
§ II. — Facultates absolvendi a Censuris et Casibus S. Sedi reservatis Nostris Confessariis ad tempus concessae . . . . .	» 18
§ III. — Facultates quibus gaudent Confessarii Nostri in Patagonia ex delegatione Superiorum respectivae Missionis . . . . .	» 20
§ IV. — Facultates dispensandi in Irregularitatibus . . . . .	» 25
§ V. — Facultates dispensandi in Inabilitibus . . . . .	» 27
§ VI. — Facultates relaxandi Vota et Iuramenta . . . . .	» 29
§ VII. — Facultates circa Matrimonium . .	» 30
§ VIII. — Facultates dispensandi a Ieiunio et a Cibis vetitis, induendi Vester saeculares, equitandi, deferendi, recipiendi ac expendendi Pecunias . . . . .	» 37
CAPUT II. — <i>Facultates circa Benedictiones</i> »	39
§ I. — Regulae Generales . . . . .	» ibi
§ II. — Facultates benedicendi Res Sacras cum applicatione Indulgentiarum Apostolicarum et Divae Birgittae a S. Sede concessae . .	48

CAPUT III. — <i>Facultates circa SS. Missae Sacrificium et Sacramentorum administracionem</i> . . . . .	pag. 51
CAPUT IV. — <i>Facultates circa Divinum Of- ficium, Libros prohibitos, et Sacros Ordines</i> »	54
CAPUT V.— <i>Facultates circa Indulgenciarum largitionem et usum Calendarii Romani</i> . »	56

#### APPENDIX I.

N. I. — <i>Catalogus omnium Censurarum LATAE SENTENTIAE, quae nunc vigent ex Constitu- tione APOSTOLICAE SEDIS aliisque Documentis deceptae</i> . . . . .	» 58
Constitutio Apostolicae Sedis a Pio Papa IX edita sub die 12 Octobris 1869 . . . .	ibi
§ I. — Excommunicationes Latae Sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae »	62
§ II. — Excommunicationes Latae Sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatae . »	71
§ III. — Excommunicationes Latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae . . »	84
§ IV. — Excommunicationes Latae Sententiae nemini reservatae . . . . .	85
§ V. — Excommunicationes Latae Sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatae ex Concilio Tridentino, n. I . . . . .	87
§ VI. — Excommunicationes nemini reservatae ex Concililio Tridentino, n. II . . . . .	90
§ VII. — Suspensiones Latae Sententiae Summo Pontifici simpliciter reservatae ex Constit. Apostolicae Sedis . . . . .	92
§ VIII. — Suspensio Latae Sententiae de novo addenda specialiter Romano Pontifici reser-	

vata ex Constit. <i>Romanus Pontifex</i> de die 28 Augusti 1873 . . . . .	pag.	97
§ IX. — Interdicta Latae Sententiae ex Const. <i>Apostolicae Sedis</i> Summo Pontifici speciali- ter reservata . . . . .	» ibi	
§ X. — Suspensiones et Interdicta Latae Sen- tentiae a Concilio Tridentino irrogata et a Pio IX Bulla <i>Apostolicae Sedis</i> confirmata, ex quibus alia reservantur, et alia non sunt reservata . . . . .	»	98
1. — Suspensiones Latae Sententiae a Tri- dentino irrogatae . . . . .	»	99
2. — Interdicta Latae Sententiae a Tridenti- no irrogata . . . . .	»	101
§ XI. — Postrema Constitutionis pars confir- mat omnes Censuras Latae Sententiae, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Instituto- rum cuiuscumque nominis aut generis sint, quae hucusque in suo vigore perstitere .	»	102
N. II. — <i>Animadversiones generales quoad Censuras et Casus Summo Pontifici SPECIA- LITER reservatos</i> . . . . .	»	105
N. III. — <i>Animadversiones quoad Censuras et Casus Papae SIMPLICITER reservatos respi- cientes Regulares</i> . . . . .	»	109

### APPENDIX II.

<i>Facultates Confessariis Nostris ab Ordinariis locorum adprobatis, ex Folio S. Poenitentia- riae, a S. Sede concessae</i> . . . . .	»	111
---	---	-----

### APPENDIX III.

<i>Facultates quibus gaudent Missionarii Nostri in America degentes</i> . . . . .	»	122
---	---	-----



- cessis singillatim sumptis , etiam in Casibus,  
in quibus duo vel plura simul concurrant ex  
praedictis, nec non concurrente quoque impe-  
dimento Mixtae Communionis, dispensandi tri-  
buens . . . . . pag. 141
- N. VIII. — Facultates omnes Extraordinarias,  
quibus pollet Vicarius Apostolicus Patago-  
niae Septentrionalis et Centralis dispensandi  
cum Catholicis suae iurisdictioni subiectis  
circa impedimenta Matrimonium dirimentia ex  
Rescripto S. Congregationis de Propaganda  
Fide sub die 15 Aprilis 1888, Ipse Sacerdo-  
tibus Sacro Ministerio in suo Vicariatu fun-  
gentibus, communicare potest . . . . » 142
- N. IX. — Facultas impertiendi ter in anno  
solemniter Benedictionem Papalem cum Indul-  
gentia Plenaria R.mo Vicario Apostolico Pa-  
tagoniae Septentrionalis et Centralis die 6 No-  
vembris 1892 ad decennium concessa . . » 144
- N. X. — Facultates, quibus, ex Sanctae Sedis  
benignitate, gaudet durante munere R. D.  
Iosephus Fagnanus , Presbyter Salesianus ,  
Praefectus Apostolicus Patagoniae Meridio-  
nalis et Insularum adiacentium, etiam cum  
potestate eas Sociis suae Missionis et aliis  
Presbyteris idoneis communicandi . . . » 145
- Formula IV . . . . . » ibi
- N. XI. — Facultates Extraordinariae, ex For-  
mula A, super aliquibus impedimentis Matri-  
monium dirimentibus dispensandi eidem Prae-  
fecto ad determinatum Casuum numerum,  
die 8 Aprilis 1888, concessae . . . . » 154
- N. XII. — Facultates Extraordinariae, ex For-  
mula AA, super quibusdam aliis, praeter gra-

*dus in Formula IV, N. X sub 4 contentos, Cognitionis et Affinitatis gradibus, etiamsi coniunctis seu inter se attinentibus, dispensandi circa Matrimonia contrahenda vel iam contracta eidem Praefecto ad decennium, die 8 Aprilis 1888, concessae . . . pag.* 156

N. XIII. — Aliae Facultates Extraordinariae eidem Praefecto Apostolico, ex Rescripto Sacrae Congr. de Propaganda Fide diei 27 Decembris 1885, concessae, dispensandi scilicet pro triginta Casibus cum suis Subditis, exceptis Italis de quibus non constet italicum domicilium omnino deseruisse, super impedimento impediente mixtae Religionis in Matrimonii contrahendis . . . . . » 158

N. XIV. — Rescriptum S. Congr. de Propaganda Fide diei 8 Aprilis 1888 eidem Praefecto Apostolico Facultatem super quibusdam Impedimentis Matrimonium dirimentibus, iam concessis singillatim sumptis, etiam in Casibus, in quibus duo vel plura ex praedictis simul concurrant, nec non concurrente quoque Impedimento mixtae Communionis, dispensandi tribuens . . . . . » 160

N. XV. — Facultates omnes Extraordinarias eidem Praefecto Apostolico dispensandi circa Impedimenta Matrimonium dirimentia, Ipse Sacerdotibus in sua Praefectura laborantibus communicare valet . . . . . » 161

N. XVI. — Facultas Sacramentum Confirmationis Fidelibus administrandi durante munere eidem Praefecto Apostolico exclusive, a Papa Leone XIII, die 29 Iulii 1888, concessa . . . . . » 163

## APPENDIX IV.

*Facultates, quibus gaudent Missionarii Nostri  
in Vicariatu Apostolico Reipublicae Aequato-  
rialis Mendesin. et Gualaquiran. ex Re-  
ctoris Maioris vel respectivi Missionum Su-  
perioris communicatione . . . . pag. 164*

N. I. — *Rescriptum Concessionis . . . . » ibi*

N. II. — *Facultates concessae a SS. D. N.  
Leone Papa XIII — Formula IV . . . » 166*

## APPENDIX V.

<i>De Irregularitatibus</i>	173
§ I. — Quoad varias Irregularitatum species	ibi
§ II. — Quoad dispensationem in Irregularitatibus ex <i>Delicto</i> et ex <i>Defectu</i> provenientibus	179
§ III. — Circa formam dispensandi in Irregularitatibus	180

## APPENDIX VI.

Indulgentiae, quas *Summus Pontifex*, vel ab eo *Delegatus benedicendo* Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata, Medaglie vulgo nuncupata, impertitur *Christifidelibus*, qui secum habentes, vel apud se retinentes aliquod ex praefatis Obiectis, pia Opera praescripta implebunt . . . . . » 182

## APPENDIX VII.

*Facultas impertiendi Benedictonem cum Indulgentia Plenaria Christifidelibus in locis Missiōnum in Mortis articulo constitutis, n. 1 . » 188*

Modus a S. M. Benedicto XIV approbatus, et  
pro opportunitate temporis servandus, ut in  
Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictio-  
nem in articulo Mortis Constitutis, ab iis, qui  
Facultatem habent a Sede Apostolica delega-  
tam, n. 2. . . . . pag. 190

## APPENDIX VIII.

*Ritus et Formula solemnis Benedictionis Apo  
stolicae seu Papalis . . . . . » 194*

## APPENDIX IX.

N. I. — *Indultum utendi Calendario Romano  
pro omnibus Sodalibus Nostris in America  
Meridionali degentibus . . . . . » 196*

N. II. — *Indultum pro Nostris Sociis in Patagonia degentibus celebrandi Festum Patroni S. Francisci Salesii die 29 Januarii, etiamsi occurrat Anniversarium Dedicationis Ecclesiae eiusdem Regionis . . . . . »* 197



# INDEX ANALYTICUS MATERIARUM

quae in hoc opusculo continentur.

---

CAPUT I. — <i>Facultates circa Absolutiones et Dispensationes</i> . . . . .	pag. 7
§ I. — Regulæ Generales . . . . .	» ibi
— A quibus Casibus Confessarii Nostri etiam privilegiati absolvere nequeant, n. I . .	» 7-8
— Monitum ad Confessarios privilegiatos — <i>Nota</i> . . . . .	» 8-9
— Qui non incurvant Censuras, n. II . .	» 9-10
— Quae Conditiones requirantur, ut Censura Papae reservetur, n. II et III . . . .	» ibi
— Qui sint Casus Papae reservati sine Censura, n. III in fine . . . . .	» 10-11
— Quae Conditiones requirantur ad Episcopales Reservationes, ibidem . . . . .	» 11
— Quando cesseret Reservatio, n. IV . .	» 11-12
— Quando et pro quibus personis Reservatio Papalis <i>perpetuo</i> cesseret, ideoque fit delegabilis seu Episcopalis, n. V . . . . .	» 12-15
— Quid tamen hodie agendum sit, si Poenitentis versatur in impossibilitate <i>personaliter</i> adeundi Romam, vel ad eum facultatem absolvendi habentem, in adnotatione . .	» 14-15
— Qualis sit Absolutio <i>ad effectum</i> . . . .	» 15-16
— In hoc casu ad quid tenetur Poenitentis absolutus, adnot. . . . . . . . . .	» 15

- Quae sint Regulae practicae de Reserva-  
tione, n. VI sub 1-6 . . . . . pag. 16-17
- Cur casus impedimenti sive perpetui sive  
semestris Romam vel Episcopum adeundi  
apud Nostros in America degentes vix con-  
tingere possint, n. 7 . . . . . » 17-18
- Quibus Facultatibus gaudeant Confessarii  
Nostri Missionarii ab Ordinario loci appro-  
bati absque Superioris Generalis licentia,  
n. VIII . . . . . » 18
- Quae excipiuntur, Vid. sub n. I, II et III. » ibi
- § II. — Quae sint Facultates absolvendi et di-  
spensandi a Censuris et Casibus S. Sedi re-  
servatis Nostris Confessariis ad tempus con-  
cessae . . . . . » 18
- Quomodo Confessarii Nostri Facultatibus  
in Folio S. Poenitentiariae contentis uti de-  
beant . . . . . » 19-20
- Quae et quot sint hujusmodi Facultates,  
App. II . . . . . » 111-121
- Quid sit forum et quotplex, in adnot. » 19
- § III. — Facultates quibus gaudent Missio-  
narii Nostri in Patagonia ex delegatione  
Suorum Superiorum, scilicet absolvendi ab  
omnibus Censuris *etiam speciali modo* Summo  
Pontifici reservatis in Const. *Apostolicae Se-  
dis*, n. I . . . . . » 20
- Quaenam sint hujusmodi Censurae, V.  
App. I, N. I, praesertim § I . . . . . » 62-70
- Qui Casus sint excipiendi, n. II et III,  
p. 20-24; — nec non n. 3 . . . . . » 106-107
- An absolvere et dispensare possint ab Hae-  
resi, Apostasia a Fide, a Schismate, n. II  
sub d . . . . . » 21-22
- An a Simonia, sub *Nota* . . . . . » 22

- A quibus Suspensionibus et Interdictis non possint, sub n. 8 . . . . . pag. 24
- Quid sit Haeresis et quomodo distinguatur, App. II, adnot ad Fac. III . . . . » 113
- Apostasia, adnot. . . . . » 21
- Schisma, adnot. . . . . » 22 et 131-132
- Simonia , adnot. pag. 22; et App. I, N. I, § II, adnot. ad Cens. VIII, IX et X . . » 75-78
- Qui sint Casus Papales Episcopis in Constit. *Apostolicae Sedis* reservati , App. I, N. I, § III . . . . . . . . . » 84
- Qua ratione dicuntur Episcopis reservati, an ab eis Missionarii absolvere possint, adnot. ad n. 7 . . . . . . . . . » 24
- Quaenam igitur notanda sint *pro praxi*, n. III sub 1-8 . . . . . . . . . » 23-25
- Cur Poenitentem rite dispositum, propter Casum Papalem, rarissime inabsolutum dimittere oportebit . . . . . . . . . » 24-25
- § IV. — In quibus Irregularitatibus dispensare possint Missionarii . . . . . . . . . » 25-27
- Quid sit Irregularitas, adnot. » 25 et 128-129
- Quid et quotplex sit Bigamia, V. adnot. ad n. 2, pag. 129 ; et adnot. ad n. 1 » 145-146
- In quibus Irregularitatibus Superiores Regulares cum suis Subditis dispensare possint, in adnotatione. . . . . . . . . . . . . . . » 25-26
- Quid sit dubium *juris vel facti*, in adnotatione . . . . . . . . . . . . . . . » 26-27
- § V. — In quibus Inabilitatibus . . . . . » 27
- In Quibus non, in adnot. . . . . . . . . . » 28-29
- Quid sit Sortilegium , adnot. pag. 28 et adnot. 2 . . . . . . . . . . . . . . . » 113
- *Maleficium*, adnot. 3 . . . . . . . . . . . . . . . » ibi

§ VI. — Quae Vota et Iuramenta relaxare aut commutare possint . . . . .	pag. 29-30
— Quae excipienda sint, adnot. ad Fac. IX, pag. 118; nec non adnot. ad n. 4 . . .	» 129
§ VII. — Quibus Facultatibus polleant Mis- sionarii circa Matrimonium . . . . .	» 30
§ VIII. — Quae sint eorum Facultates circa Iejunium, Indumenta saecularia, Cibos die- bus vetitis, Equitationem et Pecunias .	» 37-38
CAPUT II. — <i>Facultates circa Benedictiones</i>	» 39
§ I. — Regulae generales . . . . .	ibi
— Ad quos pertineant Benedictiones, n. I	» 39-40
— Quae Nobis non liceant, n. II . . . .	» 41
— Quae liceant Superioribus, n. III . . .	» 41-42
— An etiam Missionariis, adnot . . . . .	» 42
— Quae Vasa et Paramenta benedici debeant, <i>Nota 1-2-3-4</i> . . . . .	» 42
— Quas Benedictiones Missionarii Nostri, ex delegatione respectivorum Superiorum, con- ficere possint, n. IV . . . . .	» 43-44
— An Vicarius Apostolicus Patagoniae Se- ptentrionalis et Centralis delegare possit Fa- cultyatem administrandi Sacramentum Con- firmationis, sub e . . . . .	» 44
— An eadem Facultate gaudeat etiam <i>per- sonaliter</i> Praefectus Apostolicus Patagoniae Meridionalis, sub f . . . . .	» ibi
— Quomodo facienda sint Benentiones, n. V	» 44-45
— Qualis Formula adhibenda sit pro applica- tione Indulgentiarum Rebus Sacris, n. VI	» 46
— An Missionarii Nostri gaudeant Facultate imperiendi Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in articulo Mortis constitutis, n. VII sub 1 . . . .	» 46-47

- Qua Formula uti debeant, App. VII, n. 2 p. 190
- An Vicario Apostolico Patagoniae competet Facultas impertiendi in propria Sede Fidelibus ter in anno solemniter Benedictionem Apostolicam seu Papalem, n. VII sub 2, pag. 47, et N. IX . . . . » 144-145
- Quibus Ritu et Formula, V. App. VIII » 194
- § II. — Quibus Facultatibus polleant Sacerdotes Nostri circa Benedictionem Rerum Sacrarum, n. 1-2-3 . . . . . » 48-50
- Quae Indulgentiae applicari possint Crucibus, Crucifixis, Coronis, Rosariis, parvis Statuis et Sacris Numismatibus, sub n. 1-4 . . . . . » ibi
- Quae et quot sint Indulgentiae *Apostolicae* seu *Papales* huiusmodi Obiectis applicandae, V. App. VI . . . . . » 182

- CAPUT III. — *Facultates circa SS. Missae Sacrificium, et Sacramentorum administracionem.* . . . . . » 51
- Quibus in locis Nostri Missionarii celebrare possint, n. I sub 1-2 et 5; n. II, sub 1-2 . » 51-53
  - An etiam in Navium Cubiculis, adnot. ad n. III . . . . . » 123
  - Quid agendum si repente magna exoriretur procella, adnot. ad n. III. . . . . » 126
  - An etiam ante auroram vel post meridiem, n. I-3 et n. II-2 . . . . . » 51-53
  - An gaudeant Indulco Altaris privilegiati personalis ter in hebdomada ubicumque celebrent, n. I sub 4 . . . . . » 51
  - An gaudeant Indulco celebrandi Missam de *Requie* singulis Feriis secundis non impeditis Officio 9 lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti cum privilegio libe-

- randi animas a Purgatorii poenis , n. II  
sub 1 . . . . . pag. 52
- An celebrandi bis in die quocumque loco,  
super Altari etiam fracto, vel sine Reli-  
quiis Sanctorum et absque Ministro, n. II,  
sub 2 . . . . . » 52-53
- An deferendi SS. Eucharistiam occulte et  
sine lumine ad Infirmos, n. II sub 3. . . » 53
- Quoad usum hiusmodi facultatis, V. adnot.  
ad n. 22 . . . . . » 151-152
- An administrandi omnia Sacraenta etiam  
Parochialia, n. III . . . . . » 53

CAPUT IV. — *Facultates circa Divinum Of-  
ficium, Libros prohibitos et Sacros Ordines* » 54

- An Missionarii gaudeant facultate recitan-  
di, de licentia suorum Superiorum, quinde-  
cim decades Rosarii B. M. V. vel alias pias  
Preces loco Divini Officii, n. I sub 1-2. » ibi
- An legendi ac retinendi Libros ab Aposto-  
lica Sede prohibitos , ad effectum eos im-  
pugnandi, n. II sub 1-3 . . . . . » 54-55
- An recipiendi Sacros Ordines extra Tempora  
et non servatis interstitiis et cum dispensa-  
tione super defectu aetatis unius anni pro  
Sacro Presbyteratu, n. III sub 1-2. . . . » 55-56
- An praefici possint Parochiis Regulares si  
desunt Saeculares, sub n. 3 . . . . . » 56

CAPUT V. — *Facultates circa Indulgentiarum  
largitionem* . . . . . » ibi

- An ipsi Missionarii, ex delegatione Vicarii  
et Praefecti Patagoniae, gaudeant facultate  
lardiendi Indulgentiam Plenariam , primo  
die Conversis ab haeresi atque omnibus Fi-  
delibus Christianis in articulo Mortis consti-

- tutis, et tempore Orationis 40 horarum ter  
in anno indicendae, n. I sub 1-3 . . pag. 56-57  
— An possint lucrare sibi easdem Indul-  
gentias, sub n. 4 . . . . . » 57  
— An Missionarii Nostri in America Meri-  
dionali degentes uti possint Indulto Calen-  
darii Romani ad instar Sociorum suorum  
Patagoniam, Missionis causa, incolentium,  
n. II . . . . . » ibi

APPENDIX I.

- N. I. — Catalogus omnium Censurarum *latae  
sententiae*, quae nunc vigent ex Constitutione  
*Apostolicae Sedis* Pii PP. IX, de die 12 O-  
ctobris 1869, aliisque Documentis deceptae » 58  
— Quid sit Censura et quomodo dividatur  
et distinguitur, adnot. . . . . » 58-59  
— Ex quibus verbis dignoscatur an sit *latae  
vel ferendae sententiae*, adnot. . . . . » 59  
§ I. — Excommunicationes latae sententiae  
*speciali modo* Romano Pontifici reservatae » 62  
— Quid sit Excommunicatio et quomodo divi-  
debatur ante Constit. *Apostolicae Sedis*, ad-  
notat. 1 et 2 . . . . . » ibi  
— Quotuplicis generis sint hodie Excommuni-  
cationes, adnot. 3 . . . . . » 62-63  
— Quae veniant sub *Litteris Apostolicis*, adno-  
tat. 1, pag. 63; et adnot. 1 . . . . . » 65  
— Quae sub nomine *Brevis Apostolici*, adno-  
tat. 2 . . . . . » 65-66  
— Qui veniant sub nomine Complicis, adnot.  
ad Cens. X . . . . . » 66  
§ II. — Excommunicationes latae sententiae  
eidem Romano Pontifici *simpliciter* reser-  
vatae . . . . . » 17

§ III. — Excommunicationes latae sententiae <i>Episcopis sive Ordinariis</i> reservatae . pag.	84
— An Confessarii Urbis Romae indigeant spe- ciali facultate Episcopi Cardinalis Vicarii pro valida absolutione ab huiusmodi Ex- communicationibus, adnot. 1 . . . . . » ibi	
— Quotuplicis generis sint Casus Episcopis reservatis, adnot. 2 . . . . . » ibi	
